DE DIOCLETIANO
NOVARUM IN RE PUBLICA INSTITUTIONUM AUCTORE

COMMENTATIO.

PARS I.

SCRIPSIT

MAURITIUS RITTER
DR. PHIL.

BONNAE
APUD MAX COHEN ET FILIVM
MDCCCLXII.

DE DIOCLETIANO
NOVARUM IN RE PUBLICA INSTITUTIONUM
AUCTORE

COMMENTATIO.

PARS I.

SCRIPSIT

MAURITIUS RITTER

DR. PHIL.

BONNAE

APUD MAX COHEN ET FILIVM

MDCCCLXII.

Prooemium.

Rcs Romanae, cum ex arbitrio unius gercrentur, indc ab Antoninis paulatim decrescentes mcdio saeculi post Christum natum tertii ad ultimum fere discrimen deductae videbantur. Orbis Romanus tunc divisus crat inter possessores ingentium divitiarum, quorum agros colebat multitudo colonorum domos longa servorum agmina complebant. Plerique homines deserto bonarum artium cultu crassae caligini mentem concesserant; religiones gentilcs in supcrstitionem prolapsae deis arbitrium in gubernandis rebus humanis liberum et ratione destitutum tribuebant, ab humano genere ritus et sacrificia potius quam virtutem postulabant. Philosophorum sapicntia, a multitudine spreta et tamquam in abscondito angulo a paucis cxculta, magnum ingenii acumen in doctrinam Neoplatonicorum, rationem et arbitrium ratione vacuum mire permiscentium, conferre voluit. Ita hominum multitudo altiora sapere cum cessasset ac vitam turpibus voluptatibus cxplcre mallet, ad servitium cuiusvis tyranni parata crat, dcbilis hostium et rebellium praeda.

Interea Gcrmani aliaeque barbarae nationes, quibus gloriam bello parare inprimis decorum et viro dignum videbatur, terras Romanorum ab ostio Rheni usque ad dcscrta Syriae diripere vel expugnare aggressi sunt. Persac cum imperium suum nuper renovassent, Cyri et Darii gloriam corumquc re-

gnum usque ad mare Aegaeum recuperare et porrigere concupiscebant. Iam Gothones et Persae cladibus Decii et Valeriani imperatorum super fracto Romanorum robore exultaverant, per Asiam effusi caedem et rapinas proferebant. Germanorum furor limitibus perruptis super incensis septuaginta Gallorum civitatibus debacchabatur, iidem in Padi ripa villas senatorum diripiebant et pagos Mauretaniae pervagabantur. Sed quo maiore cives terrore corriperentur, milites Romani munus imperatores creandi vel nece abolendi sibi arrogaverant. Qui cum in tot rebellandi causis decora et turpia permiscerent, modo neglecta ab imperatore patriae salus, modo donativum ab ambitioso duce oblatum sufficiebat, ut imperatorem suum debellarent et occiderent cruentamque eius purpuram prodigo duci circumdarent. Unde cum Gallieni ignavia imperio Romano dedecori esset, undeviginti homines, qui de purpura certarent, a militibus destinati sunt, quorum nemo non est necatus. Et sane cum circiter octoginta praesides proximo post imperatoris fastigium loco constituti universam tam civilem quam militarem provinciae administrationem gererent, quomodo potuit imperator vigilare et providere simul de Syriae et de Hispaniae rectoribus, quominus ipsi purpuram sumerent magnisque suae provinciae opibus freti aemuli eius prodirent? Atque alterum rebellioni malum cum accederet corruptio praesidum ceterorumque provinciarum magistratuum, quomodo potuit unus imperator cum palatii sui magistratibus sufficere ad accipiendas appellationes a tribunalibus totius orbis Romani, ad cohibendas iniquas exactiones et direptiones quae ubique terrarum a praesidibus eorumque magistratibus admitterentur? Quibus rebus cum Romanorum animi ingenti malorum copia obsessi et fracti iam essent, oborta est pestilentia et grassata per omnes provincias. Decrescebat hominum numerus, ac silvae ingentes nascebantur in quibus domorum ruinae obtectae ramis et fronde arborum testabantur, ibi fuisse quondam oppida et campos frugiferos.

Tanta calamitate fessum imperium recreaverunt quattuor

imperatores rara fortitudine praediti, Claudius, Aurelianus, Probus, Carus, qui suis victoriis superbiam Germanorum et insolentiam Persarum represserunt, flammasque rebellionum extinxerunt. Sed eiusmodi eventus quamquam in breve tempus suffecerant, hanc belli gloriam et pacem rei publicae facile abolere potuit ignavus in imperio successor. Urgebat potius necessitas, ut salutaribus institutionibus stabiliretur status imperii. Huius rei curam sibi incumbere sagaciter perspexit *C. Aurelius Valerius Diocletianus*, cui post breve Cari filiorum regnum milites dominationem obtulerant (anno 284); vir singulari natura praeditus, qui cum vix e sordibus humilis domus ad militiam processisset, imperium orbis Romani sibi acquirendum proposuerat[1]); et in tanto ambitionis ardore idem erat mentis sobriae, alienus a luxuria et gulae deliciis, pronus ad avaritiam, qui quod sibi proposuisset immobili constantia et magna calliditate persequeretur. Sincere devotus erat et devinctus cultui deorum, de cuius veritate ob vetustatem et sapientium hominum fidem sibi persuasum habebat, et quamvis superstitiose exta victimarum perscrutaretur, audiret cuiusvis harioli oracula, tamen deorum favorem non nisi sancte vivendo acquiri haud ignorabat. Erga ceteros homines cum esset clemens et ab amicitiae vinculis haud alienus, omnia suae dominandi cupiditati postponebat. Eo cum esset animo imperator, ipse se dixit parentem generis humani[2]), ac ceteri aureum saeculum clementia sua eum proferre praedicabant: sed idem non cunctatus est omnes contra summam suam potentiam conatus sanguinis flumine extinguere[3]). Etiam amicos

1) Vopiscus in Caro 13, 14. Fabula de apro occidendo hoc bene indicat, cuius tamen veritatem quod attinet probo sententiam Muratorii (Annali d'Italia an. 286), qui eam dicit: 'Raconto, che ha del curioso, purchè questa cosa inventata non fosse da qualche bel ingegno dopo del fatto'.

2) Edictum de pretiis rerum venalium (ed. Mommsen. Verhandlungen der sächs. Academie. Phil. hist. Classe 1851.) p. 3 §. 10.

3) Legas quomodo saevierit post captam Alexandriam vel Antiochiam Eutrop. IX 23. Libanius (ed. Reiske) t. I p. 661 sq.

sibi caros et devinctos publico odio exposuit, dummodo ipse hominibus carior fieret [1]).

Huiusmodi vir ingenio accepit imperium ea mente, ut suo arbitrio de hominibus dominaretur, imperio Romano priscam maiestatem, hominibus pacem et res prosperas redderet, ea autem sapientia et ἐνεργείᾳ, qua statum rei Romanae novis institutionibus ad hunc finem perduceret [2]). At tunc imperium prae ceteris contra hostium et rebellium impetus defendendum erat: nam singuli praesides minoribus imperabant exercitibus, quam qui maiori hostium incepto possent resistere; imperator autem, cui soli multarum provinciarum exercitus sub suo imperio coniungere licebat, non poterat simul debellare Germanos, qui Rhenum perrumperent, Persas, qui eodem tempore Asiae urbes captarent, vel Sarmatas et Sarracenos, vel rebelles tandem in Oriente et Occidente coortos. Ideo antecessores Diocletiani praesidibus et ducibus legionum extra ordinem militare imperium de copiis multarum provinciarum delegarant [3]); at infixum erat animo Diocletiani consilium, ne cui subdito potestatem extraordinariam, quae ad rebellionem eum posset propellere, concrederet. Itaque animum eo advertit, ut, si unus princeps imperium non posset defendere, duo vel certe quattuor hoc munus susciperent. Hinc prima novarum eius institutionum erat divisio unius imperii inter plures principes [4]).

---

1) Quomodo Maximianum tractaverit, legas in cap. II §. 2 huius commentationis.

2) Ad cognoscendos mores Diocletiani cf. Capitolin. M. Antonin. 19, 44. Lamprid. Elagab. 35. Vopisc. Aurelian. 43, 44; Carus 13, 14, 19. De mortibus persecutorum 7. Aurelius Victor (Scriptores historiae Romanae minores sex ed. Fiedler) XXXIX 1 sq., 16 sq., 46, 48. Lactantius divinarum institutionum lib. V 2. Mosaicarum et Romanarum legum collatio VI 4, XV 3. Praefatio edicti de pret. rer. ven.

3) Cassius Dio LXXI 3. Treb. Pollio in triginta tyrannis 18. Vopisci Claudius 15; Aurelian. 17; Probus 7.

4) Diocletianum in hac divisione solam defensionem imperii spectasse, tradunt scriptores veteres (eos citavi cap. II §. 1, 2.). Si quis dicat civili quoque administrationi eum subvenire voluisse, hoc ideo non probo, quia

Nec tamen ita omnibus rei publicae malis subventum erat, si imperatores in quattuor orbis partibus hostes coercerent aut repellerent: nam supererat magna praesidum potestas, quae pronos ad rebellionem eos redderet, supererat nimia eorum multitudo, quorum in gerenda administratione libidinem princeps non poterat continere. Novis igitur coeptis etiam his mederi aggressus Diocletianus deminuit rectorum provincias, instituit vicarios ita, ut imperator vicários, vicarii praesides custodirent. Deinde cum omnium in re Romana potestatum corruptio et gerendae rei publicae inscitia liberum unius viri imperium postularent, succidere temptavit potestates, quae iuxta potius quam infra eum positae videbantur, senatum dico, qui legitime, praetorianos, qui sua libidine ac rebellionem minando principem coercerent. Ita cum Augusti imperium longe super omnes homines extulisset, cumulum operi suo imposuit augendo subditorum tributa, quibus multitudo novorum magistratuum aleretur inveniendoque novum maiestatis Augustae cultum, quo scilicet Romani infinitum principis imperium agnoscerent. Harum institutionum, quas perscrutari omnes operam dedi, *priorem partem*, quae pertinet ad *divisionem imperii* in hac dissertatione exponendam suscepi. Sed ipse Diocletianus cum in Caesaris et Augsti dignitate creanda partim imitatus sit priorum imperatorum consuetudinem, partim supergressus, ego hoc fundamentum expositionis meae posui, ut primo loco de Caesaribus et Augustis ab imperatoribus ante Diocletianum ascitis et imperii consortio sic instituto explicarem, tum ad Diocletiani rationem et inceptum accederem.

---

inter tres collegas assumptos duo (Maximianus et Galerius) rem publicam bello praeclare defendebant, sed in pace male agebant (cap. II §. 1, 2.).

Caput I.

De Caesaribus et Augustis, quos imperatores rei Romanae a Caesare Augusto usque ad Diocletianum asciverunt.

§. 1. *De Caesaribus ab Augusto usque ad tempora Vespasiani nominatis.*

Nomen *Caesaris* imperantibus Augusto, Tiberio, Caio familiam imperatorum indicabat, ideoque omnibus, qui in hanc familiam sive agnatione sive adoptione recepti erant, additum repperitur. Ita Lucius et Gaius, Agrippae filii ab Augusto adoptati, Caesares appellati sunt[1]). Tiberio Claudio Neroni, cum Augustus eum adoptasset, indita sunt nomina Tiberii Caesaris Claudiani[2]). Eodem modo Tiberii filius Nero Claudius Drusus Caesar nominabatur[3]), additumque hoc cognomen Agrippae Postumo et Germanico adoptione in domum Tiberii assumptis[4]). Idem tandem nomen, si cui libet in filiis Germanici

1) Taciti Annales I 3, Dio Cassius LIV 18, Velleius II 96. Hieronymi Chron. olymp. 190, 4. Eckhel, doctrina nummorum veterum t. VI p. 170 sq. Orelli-Henzen, Inscriptionum lat. collectio n. 633—644. Fr. Ritter (ad Horatii Epl. I 5, 9) Caium iam ante adoptionem ob matrem Iuliam, Augusti filiam, *Caesarem* esse dictum contendit.

2) Orelli-Henzen 5375, 5757. Velleius eum ante adoptionem a se narratam *Tiberium Neronem* appellat, inde ab adoptione memorata (II 103) Tiberium *Caesarem* dicit (II 104, 105, 106, 107 etc.). Eandem legem Tacitum observare perite monuit Nipperdey ad Ann. II 3. Eckhel VI, p. 184.

3) Eckhel VI p. 202 sq.

4) Mommsen Inscriptiones regni Neapolitani n. 1973 M. AGRIPPAI. AVGVSTI. NEPOTI. (haec inscriptio ante adoptionem posita videtur, quam-

persequi, multitudo inscriptionum et nummorum obvia erit. Sed necato Gaio Caligula cum Tib. Claudium milites et senatus imperatorem salutassent, re vera Caesarum domus extincta, novusque princeps nullo cum divo Iulio agnationis vinculo coniunctus erat. Verum Claudius cum legitima successione tam sanguinem et nomen quam imperium priorum Caesarum se suscepisse videri vellet, fictione quadam agnationis nomen Caesaris sibi ipse imposuit[1]), idemque in filium Britannicum[2]) et Neronem a se adoptatum[3]) transtulit. Hoc postea exemplum secutus est Galba, qui cum ipse Caesaris nomen accepisset, hoc etiam Pisoni ex adoptione addidit, ita ut Tacitus eandem rem significet, cum Pisonem adoptatum, cumque Caesarem adscitum esse[4]) dicit. Verum Piso ultimus erat, in quo Caesaris apellatio solum familiae imperatoriae cognomen fuit. Cum enim Galbae, mox Othoni, dein Vitellio militum voluntas et imperium dedisset et cum vita simul eripuisset, orbisque terrarum per duos annos bellis civilibus graviter concussus esset, tandem Vespasianus sibi imperium adquisivit, Romanis pacem et bene ordinatam rem publicam restituit. Tum Caesaris

---

vis nomen Caesaris etiam omissum esse possit). Orelli-Hensen 5378 AGRIPPA. CAES. Cf. Eckhel VI p. 174 sq. de filiis Drusi iun. Eckhel VI p. 207 de Germanico (quem Caesarem a Tacito dici satis notum est) Eckhel VI p. 209 sq.

1) Lehmann, Claudius u. Nero u. ihre Zeit I p. 126.

2) Eckhel VI 254, Cohen description historique des monnaies frappées sous l'empire Romain t. I p. 117. Omissum est nomen Caesaris in inscr. Orelli-Henzen n. 721, 2927.

3) Zonaras XI 10 *τὸν υἱὸν αὐτῆς (Νέρωνα) ποιησάμενος μετωνόμασε Τιβέριον Κλαύδιον Νέρωνα Δροῦσον Γέρμανικὸν Καίσαρα.* Cuius rei veritatem evincunt nummi (Eckhel VI p. 260 sq.) et inscriptiones (Orelli-Henzen 5405). Tacitus (Ann. XI 11, XII 26) ex adoptione ei nomina Claudii et Neronis addita esse commemorans Caesaris appellationem omittit, neque eum Caesarem dicit, antequam Clandio mortuo Augustus exsisteret (XII 41, 58, 64, 65 etc. Caesar: XIII 10, 13, 15 etc.). Qua in re negligentiae notam effugere non posse videtur.

4) Histor. I 15, 19, 29, 30, 48.

nomen mutationem subiit, quam antequam exponam, pauca dicenda sunt de consortione imperii, qua adhuc imperatores homines sibi subiectos suae maiestati appropinquarant: verum non in singulis, qui inde ab Augusto usque ad Vespasianum proximum imperanti fastigium adepti sunt investigabo, quae cuique eorum in re publica delata fuerit potestas, sed sufficiet in uno Tiberio hoc exponere, tum quia de hoc uberius referunt scriptores veteres, tum quia ipsi maior quam ceteris imperii pars commissa erat.

Iam primum memoravit Cassius Dio mortuo Agrippa (a. Chr. anno 12)[1]) Augustum sibi Tiberium assumpsisse loco adiutoris in regenda re publica, qui potestate et honore omnes alios anteiret[2]). Nullum erat nomen novae dignitatis proprium, sed potestatem, quae eam comitabatur, si inquiramus, inveniemus ei in bello contra rebelles Pannonios et Dalmatas summum ab Augusto imperium traditum esse, cui ipse rector provinciae Dalmatiae subiectus esset[3]). Hoc bello finito ad simile sine dubio imperium ab Augusto missus est in bello contra Germanos gerendo[4]). Hinc patet Tiberio maius et extraordinarium in re militari imperium commissum fuisse, non quo uni provinciae et uni exercitui continuo adstrictus esset, sed habebat potius facultatem ducendi cuiusvis exercitus, dummodo eius imperium Augustus ei delegaret delegatumque ipse acciperet[5]).

1) Fischer, röm. Zeittafeln an. a. Chr. 12.

2) Dio LIV 3t.

3) Vellei. II 96. Dio LIV 31, 34, 36. Rector Dalmatiae erat primum proconsul, tum legatus Augusti pro praetore (Dio LIV 34). Tiberius cum ipse non esset rector Dalmatiae, sed quoties bellum non posceret, extra Dalmatiam ageret (Fischer ann. a. Chr. 11, 10, 9), ipse praeses ei subditus esse debuit, quod praecipue patet ex analogia secundi contra Dalmatas et Pannonios belli et imperii Tiberii, de quo paulo post dicetur.

4) Vellei. II 96. Fischer a. a. Chr. 8. Höck, Röm. Geschichte vom Verfall der Rep. bis zur Vollendung der Monarchie I 2, p. 31 sq.

5) rem planam faciunt verba Baronis a Montesquieu (esprit des lois liv. V chap. XVI): 'Dans la plupart des états monarchiques on a sagement établi, que ceux qui ont un commandement un peu étendu, ne soient atta-

Mox etiam additum est nomen militari huic dignitati, cum Tiberius antequam ad bellum contra Germanos proficisceretur ab Augusto *imperatoris* nuncupationem acciperet. At idem titulus significabat summum Augusti imperium, quo Tiberii potestas longe inferior erat, cuius rei admoneri debuit et monitum est eo, quod Tiberius numquam sollemniter neque in actis publicis, neque in nummis vel inscriptionibus imperator dicebatur, neque ab alio ita apellandus erat, nisi a militibus [1]). Alter honos extraordinarius ad titulum extraordinarium accessit eo, quod triumphus, quem provinciarum rectores inde a Marco Agrippa sibi vindicare cesserant quemque Augustus sibi soli reservarat, Tiberio imperatori non denegatus est [2]). Adhuc primum Tiberii in dominationis consortione gradum contemplati sumus. Secundum iam ascendit, cum (anno a. Chr. 6) [3]) tribunicia potestas in quinquennium cum imperio suo iungeretur [4]), eoque delato convocare senatum, referre ad eum vel impedire patrum decreta posset; praeterea haec dignitas clarissimum eum et maxime inter omnes cives reverendum reddebat, ita ut, si quis sacrosanctam eius personam offenderet, illum in vincula coniciendi potestatem haberet [5]).

---

chés à ancun corps de milice; de sorte, que n'ayant de commendemenl *que par une volonté particulière du prince* pouvanl être employés el ne l'être pas, ils sonl ex quelque façon dans le service et en quelque façon dehors'.

1) Dio LV 6: *τὸν Τιβέριον ἐς τὴν τοῦ αὐτοκράτορος ἀρχὴν πραγαγὼν* (*Αὔγουστος*). Non intelligi potesl hic imperatoris tilulus qui post victoriam proclamari ab exercilu solitus eral, qnia eum Tiberio dalum esse Dio paucis ante illum locnm versibus lradidil (l. c.). Cf. Tacit. ann. I 3. Suel. Aug. 25, Tiber. 26. Dio LVII 8. Velleius Tiberium nondum Auguslum imperatorem dicil II 113, 114, 115 etc. vide practerea, quae annotavit Nipperdey ad. Tacit. Ann. I 3.

2) cf. Fischer an. a. Chr. 8.

3) cf. Fischer.

4) Vellei. II 99: Tib. Nero tribuniciae poteslatis consortione *aequatus* Augusto, civium posl unnm eminenlissimus.

5) Tacit. Ann. I 7; Snelon. Tib. 11.

Sed tanta cum esset Tiberii potentia, tamen quovis temporis momento ea evanescere potuit, quippe qui quae sibi tribunicia potestate in senatu agere liceret, Romae tantum exercere posset, imperio autem militari tunc tantum uteretur, cum missione Augusti aliquod ei bellum conficiendum demandaretur. Hinc factum est, ut simulatque offensus Gai et Lucii Caesarum apud Augustum favore bellum contra Parthos sibi commissum recusasset et Roma relicta Rhodum secessisset, per septem annos in regenda re publica non plus valeret, quam philosophi et declamatores, quorum auditoria Rhodi frequentabat[1]).

Hinc octavo anno Romam reversus denuo per gradus consortionis imperii altius ascendere coepit. Adoptatus ab Augusto in gentem Iuliam cognomen *Caesaris* accepit (a. 4 a. Chr.); renovata est etiam tribunicia potestas, quam cum post quinquennium, in quod ei primum erat delata, amisisset, iam usque ad obitum suum retinebat[2]). Nec cunctatus Augustus imperium eius resuscitare bellum contra Germanos Rhenum accolentes et paulo post contra Maroboduum ei commisit. Tam latum erat tunc eius imperium, ut praesides tam Germaniae quam Dalmatiae subordinatos sibi haberet[3]), ipseque undecim legiones contra hostes duceret[4]). Hoc bello composito cum immanis Pannoniae et Dalmatiae seditio erumperet eique Augustus, qui summam rei Romanae hostium furore in discrimen adduci verebatur, ingentem quindecim legionum exercitum opposuisset, tantarum virium regimen et imperium rursus Tiberio suo concredidit[5]). Hic quoque praesides Dalmatiae et Pannoniae ei subditos invenimus[6]). Item rebelles,

1) Unum ius puniendi eos, qui iniuriose ipsum laederent, retinebat; cf. Sueton. l. c.

2) Dio LV 13, LVI 28. Sueton. Tib. 16.

3) Vellei. II 104, 105, 109. Dio LV 13, 28. Sueton. Tib. 16. Dalmatiae praeses simul Pannoniam administrabat. Vellei. II 109. Dio LV 29.

4) Tacit. Ann. II 46.

5) Vellei. II 111. Sueton. Tib. 16. Dio LV 31.

6) Dio LV 30. Vellei. II 115, 116. Bello nondum confecto Panno-

cum de pace agere vellent, Tiberium adibant[1]). Scilicet eius erat, qui imperium militare gereret, tractare belli vel pacis negotia cum vicinis nationibus, redigere terras subiectas in provinciae formam, constituere reges populis in clientela constitutis, ita tamen ut Augustum ea confirmare oporteret[2]).

Praetereo, ne taediosa sit exemplorum multitudo, simile Tiberio contra Germanos imperium paulo post concessum esse, sed hoc quaerendum restat, num in iis provinciis, quarum legiones sibi committerentur, etiam rerum civilium provisus et dispositio penes ipsum fuerint. Quae quamquam scriptores in Tiberium concessisse non tradiderunt, Agrippae tamen simul cum exercituum in Oriente imperio delata esse certum est. Hanc Agrippae potentiam exponere operae pretium videtur, quia is quoque imperii consors dicitur[3]), indeque civilem administrationem complurium imperii provinciarum cum regni consortione coniunctam inveniri patet. Summa autem eius quaestionis est, quae ratio obtinuerit inter Agrippam[4]) et rectores provinciarum quas Agrippa adiret. Ac primum quidem respondet rerum memoria maius fuisse illius quam praesidis imperium[5]). Quaeramus igitur, quomodo id manifestum apparuerit in iurisdictione. Potuit apparere sive ita, ut certi casus Agrippae tribunali reservarentur, sive ut iurisdictio eius

---

niae et Dalmatiae regimen separatum videtur esse. Nam Dalmatiae praefectus memoratur Vibius Postumus (Vellei. II 116), Lepidum autem, cum Pannonicis exercitibus eum praepositum esse legamus (Vellei. II 114), simul provinciae Pannoniae praefectum esse facile colligitur.

1) Dio LV 33. LVI 13, 16.

2) Haec quae dixi probantur iis, quae de Agrippa, vel Gaio Caesare, vel Germanico, quibus simile in Oriente imperium mandatum erat, tradita sunt. Cf. Tacit. Ann. II 56, 58. Dio LIV 24. Ceterum Tiberium quoque Pannoniam in provinciae formam redegisse verisimile est. Cf. Vellei. II 114.

3) Iosephus, Antiquitates Iudaicae (ed. Dindorf.) XV c. X 3. Dio LIV 12.

4) In hac quaestione disceptanda etiam Germanici in Oriente imperium considerandum mihi et consulendum fuit.

5) Tacit. Ann. II 43.

per singulas Orientis provincias unicuique praesidi concurreret, sive ut appellationes ipse acciperet. Sed primum tunc in re Romana fieri non potuit, quia praesidis in provincia iurisdictio nullo reservato casu coercita erat[1]). Quod ad appellationes pertinet, eiusmodi exemplum nusquam inveni. Verum iurisdictionis Agrippae cum praesidibus concurrentis certnm exemplum nobis reliquit Iosephus, ut nihil causae sit, cur de ea dnbitemus[2]). Ita cum vir maiore imperio praeditus iudicaret, et adesset praeses, hic assessoris loco in tribunali illius considebat[3]), mox exequi debebat, quae tum decisa erant[4]).

De cetera administratione vix est quod clarius traditum appareat. Si maiore imperio praeditus provincialibus deminntionem tributi concedendi vel non concedendi potestatem habet[5]), illud haud dubie superat praesidis in administranda provincia potestatem. Si idem ad levandam populi famem horrea militaria apperit aut virum paci rei publicae pericnlosnm in loca remotiora abscedere cogit[6]), nihil in eo videtur esse, quod praesidibus facere non liceat. Unde hic quoque eum concurrere potius cum praesidibus quam eos superare credibile est. Immo etiam hoc accepimus Agrippam de statu civili privatorum hominum in re Romana nihil mutare potuisse. Namque Iones cum ab Agrippa peterent, ut Iudaeis in urbibus ipsorum habitantibus civitatem adimeret, ille respondit, nihil

1) Digesta I 18 10, 11, 12.

2) Iudaei, cum a magistratibus civitatum Ionicarum immunitatibus, quas Romani iis concesserant, privarentur, adierunt Agrippae tribunal simul cum legatis civitatum; Agrippa constituto iudicio pro Iudaeis decrevit. Ioseph. Antiq. Iud. XVI c. II 3, 4, 5. Eadem de re iudicare praesidi adeo licebat, ut Antonius proconsul postea Agrippae sententiam confirmaret XVI c. VI 7. Huc fortasse pertinet, quod de Germanico nimis indefinite ait Tacitus (Ann. II 54): 'Provincias internis certaminibus aut magistratuum iniuriis fessas refovebat'.

3) Tacit. Ann. II 57.

4) Iosephus Antiq. XVI c. VI 4.

5) Tacit. Ann. II 59.

6) Tacit. Ann. II 59 et 58.

sibi novare licere[1]). Sed unum erat, quod eum longe super ceteros praesides erigeret eorumque obedientiam ei firmaret, haec est potestas abdicandi praesidem, quem rei publicae damnosum esse intellexisset[2]).

Iam redeamus ad Tiberium, quem nondum ad summum suae potestatis gradum prosecuti sumus. Nam cum ille Germanos debellaret, etiam hoc Augustus voluit, ut imperii Romani cum exteris nationibus negotia non ex sua tantum, sed etiam ex Tiberii auctoritate tamquam communi Augusti et Caesaris consilio gererentur. Itaque Parthorum legati, postquam Augustus eos demisit, in castra ad Rheni ripas profecti sunt, ut eadem quae cum Augusto etiam cum Tiberio communicarent[3]). Proxime tandem ad maiestatem imperatoriam accessit, cum Augustus ultimo ante mortem suam anno (13 p. Chr.) Tiberio concessit, ut consilium principis sua praesentia et sapientia adiuvaret, cum decreta fierent, quae SC. auctoritatem haberent[4]), tum, 'ut aequum ei ius in omnibus provinciis exercitibusque esset, quam erat ipsi (Augusto)'[5]), h. e. ut extra Italiam eadem cum patre auctoritate uteretur.

Cum igitur haud multum abesset, quin integra Augusti maiestate circumdaretur, hoc certe erat consilium Augusti, ut nemo iam dubitaret, quin se mortuo ea quae Tiberio a summo imperio deessent, facile addi, ea autem quae iam haberet, eripi nullo modo possent. Itaque successio in locum defuncti Augusti quin traderetur Tiberio a senatu, nemo ambigebat, et patrum certamen eo tantum spectabat, quis eorum maxima adulatione ad imperium eius se succedere profiteretur[6]).

Haec habui quae de Tiberii consortione imperii tradita exponerem. Simile sed secundum gradus delatae potestatis admodum

1) Ioseph. Antiq. XII c. III 2 *μηδὲν αὐτῷ καινίζειν ἐξεῖναι.*

2) Tacit. Ann. II 70, 78.

3) Sueton. Tib. 16.

4) Dio LVI 28.

5) Vellei. II 121. Sueton. Tib. 21.

6) Tacit. Ann. I 3—7, 10—14, III 56. Sueton. Tib. 15, 21.

varium dominationis consortium imperante Augusto M. Agrippae, imperante Tiberio filio eius Druso commissum est, cui utrique tribuniciae potestatis titulus decretus est [1]). Claudius Neroni cum proconsulatu 'partem curarum' imperatoris detulit [2]), Galba Pisonem accepit consortem [3]), Vespasianus Titum [4]), Titus Domitianum [5]), quorum consortiorum varietates exponere cum in mea causa non necessarium videatur, transire licebit ad periodum secundam, postquam duas sententias ex primae periodi eventibus consequentes et proximae quaestioni utiles collocavero.

Sententia prior: *imperante Augusto aliquis consors fieri imperii potuit, quin esset Caesar. Exemplum praebet Agrippa, etiam Tiberius ante adoptionem. Mortuo Augusto soli Caesares ad consortium imperii evehebantur.* Sententia altera: *ipsum Caesaris nomen nullam potestatem continebat, poteratque aliquis Caesar esse, quin simul esset dominationis particeps. Exemplo sunt Agrippa Postumus, Drusus, Tiberii nepos, Britannicus.*

§. 2. *De Caesaribus a Vespasiano usque ad tempora M. Antonini Philosophi nominatis.*

Caesaris nomen ut omnia familiae nomina haereditarium fuisse vidimus; commutatum hoc est sub Vespasiano. Hunc cum milites imperatorem declarassent, atque mox parta victoria super cadavere Vitellii exultarent, senatus victorem principem sua auctoritate confirmare haud cunctatus est. Tunc magno numero patres convenerunt et Vespasianum, ut narrat Cassius Dio, imperatorem crearunt, Titum vero et Domitianum,

---

1) Iosephus Antiq. XV c. X 3 Tacit. Ann. I 3, III 56. Dio LIV 12. Marcellus, Gaius et Lucius Caesares, quos Tacitus addit (Hist. I 15), minore in re publica auctoritate videntur fuisse.

2) Tacit. Ann. XII 25, 41.

3) Tacit. Hist. I 15, 17:

4) Dio LXVI 18. Sueton. Titus 6.

5) Sueton. Titus 9.

filios eius, *Caesares* appellarunt [1]). Nonne hic novum quoddam et plane inusitatum fieri videmus? Num senatus Tiberium vel Germanicum vel Drusum, vel alium quemquam priorum imperatorum filium cognatumve *Caesarem* nuncupavit? Minime profecto: nimirum hoc aeque ridiculum fuisset, ac si iuveni e familia Pisonum vel Neronum earum familiarum nomen ex SC. sollemniter addidisset. Quid igitur consequitur ex illa Titi et Domitiani nova Caesarum nuncupatione? Tunc primum Caesaris nomen non iam patris et familiae cognomen hominibus visum esse, sed titulum fuisse, qui imperatoris filiis ex SC. tribui posset. Ea res tam nova fuit, ut vix mireris, si, priusquam addito tempore firma fieret consuetudo, aliquando negligeretur. Et revera videtur Domitiani filiolus *Caesar* appellatus fuisse, quamvis nullum ei SC. tale nomen addiderit [2]). Attamen hoc Domitiani Nerva paucis annis post in adoptione Traiani non secutus est. Iam enim rursus videmus adoptionem et Caesaris nuncupationem duas ac diversas res esse. Traianus adoptatur in templo Iovis, *deinde* Nerva senatum ingressus eum Caesarem a patribus appellandum suasit [3]). Hoc idem utrum observatum sit ab Hadriano, ob mancam eius temporis notitiam non liquet [4]) Sed certe admodum verisimile est, Hadrianum in adoptando et Caesare creando T. Antonino

1) Dio LXVI 1. Iam paulo ante Domitianum a militibus *Caesarem* salutatum esse narravit Tacitus Hist. III 86. At haec salutatio inordinata senatus auctoritate sancita est; quod quamvis a Tacito non memoratum sit, hinc fides Dionis labefactari non potest; praesertim cum Taciti in re simili negligentiam iam supra notaverim.

2) Spanhemius, de praestantia et usu numismatum antiquorum (Amstelodami 1671) p. 650, 664. Eckhel VI p. 400 sq.

3) Plinii, panegyricus 8. Dio LXVIII 3. Zonaras XI 20. Quod Dio dicit, ipsum Nervam in senatu Caesarem appellasse Traianum, ita accipiendum est, ut in permultis aliis locis, principem de nominando Caesare ad senatum rettulisse, eumque sententiae eius (acclamationibus) consensisse.

4) Spartiani Hadrian. 13, Ael. Verus 2. Dio LXIX 17, 20. Tillemont, histoire des Empereurs (Bruxelles 1707 sq.) II 3 p. 913 sq. Eckhel V 65, VI p. 524 sq.

Pio Vespasiani et Nervae exemplum secutum esse [1]). Ab hoc inde tempore omnia plana fiunt, et mortuo Hadriano nullum iam dubium est, quin longe aliud sit, filium esse imperatoris, aliud, Caesarem appellari. Nam extant filii imperatorum, qui nunquam [2]), alii, qui multis annis post quam nati vel adoptati sunt, Caesares nominantur [3]); alius tandem Caesar extitit qui neque natus neque adoptatus filius imperatoris fuit [4]). Ipsa Caesarum appellatio auctoritati senatus reservata erat, h. e. plerumque ex oratione principis in senatu ita consecuta est, ut omnes in eius sententiam pedibus inirent [5]). Sic se habuit

1) Aurel. Victor de Caesaribus (Scriptores hist. Romanae minores sex ed. Fiedler) c. XIV: 'ad creandum Caesarem patres convocat (Hadrianus). — Adoptatum (Antoninum) legibus Caesarem iubet', h. e. *postquam* ipse Antoninum adoptavit, *patres* eum Caesarem appellare iubet. De singulari locutione 'legibus Caesarem iubet' vide annotationem Sylburgii in ed. Arntzenii.

2) Ita duo filii Antonini Pii (Orelli-Henzen 852, 853. Eckhel VII p. 42 sq.), filii M. Antonini (Boekh, Corpus inscr. gr. 2968. Orelli-Henzen 870, 871), filius Valeriani (Eckhel VII p. 427 sq.).

3) Ita M. Antoninus (Capitolin. M. Anton. 6), L. Verus (Capit. Verus imp. 3). Conf. Tillemont II 2 p. 507, 954. Eckhel VII p. 44 sq. 89 sq. Orelli-Henzen 5200, 5482. Si quaeras alia exempla, conferas quae de Commodo, Caracalla, Geta etc. tradita sunt.

4) Albinus, quem a Severo adoptatum esse perperam coniecit Tillemontius; cf. Eckhel VII p. 165 sq.

5) Eiusmodi senatus appellationem habemus cum in multis aliis locis, tum Dio LXXIII 7, 17. Herodian. (ed. Irmisch) II c. XII 5, 6, V c. VII 1—8. Capitolini Pertinax 6. Macrin 4, 6. Lampridii Elagab. 13. Alex. Sever. 1. Aurel. Victor de Caess. XXX. Interdum etiam pars e senatu selecta videtur suffecisse, cf. Dio LXIX 20. Persaepe ab imperatore vel exercitu Caesarem appellatum esse dicunt scriptores (Spartiani Verus imp. 3 Severus 10, 16. Capit. M. Anton, 6, 16. Albin. 2, 11. Maximini duo 8. Dio LXXIII 15. Herod. VIII c. IV 25), at ibi supplendum est, senatum eam nominationem confirmasse. Ita enim iam primis imperatorum temporibus consulum nominatio saepe soli imperatori ascribitur, cum tamen ille candidatum tantum senatui commendaret; in iudicanda parte, quam senatus habuerit in Caesarum appellatione, quanta sit negligentia veterum scriptorum, inde liquet, quod Cassius Dio eundem Diadumenianum semel a Macrino imp. (LXXVIII

modus nominandi Caesares inde a Vespasiano exortus. Iam quaeritur, quam dominationis partem Augusti a Vespasiano usque ad tempora M. Antonini Caesaribus delegarint. In qua tamen quaestione ob sterilitatem historiae eius temporis tantum fastigia rerum attingere me posse profiteor. Quod ante dixi, Caesaris nomen nullam potestatem continere, idem post Vespasianum et omnibus post M. Aurelium temporibus valuit[1]); delegatur potius imperii consortium ex propria Augusti voluntate et nemini nisi Caesari[2]). Varios eius consortii gradus indicant tituli, sive aliquis solum Caesar nominatur, sive accedit tribunicia potestas, sive a liberalioribus Augustis tituli imperatoris vel proconsulis adduntur[3]), sive omnes hi tituli simul conceduntur, ut fecit Hadrianus, cum Antoninum Pium ascivit[4]).

Quantum igitur ex iis titulis concludere licet, deferebant tunc Augusti summum in exercitibus et provinciis imperium (quod indicant proconsulis et imperatoris nomina), et eam in senatu potestatem, quam titulo tribuniciae potestatis coniunctam esse monstravi. Nec est, quod hinc coniciamus, consortionem imperii aliam tunc fuisse, ac fuerit inde ab Augusto usque ad Vespasianum.

---

19), semel a senatu (LXXVIII 17) Caesarem factum esse dicit, item Gallienum a senatu Aurelius Victor (de Caes. XXXII), a Valeriano imp. Zosimus (I 30) Caesarem nominatum esse tradidit.

1) Exempla praebent Domitianus, qui Vespasiano imperante nihil in re publica valebat (cf. Imhof, C. Flavius Domitianus p. 32 sq.), Commodus, Geta, Gordianus III, qui Caesares facti sunt, cum essent pueruli.

2) Non erat necessarium, participem imperii titulum tribuniciae potestatis vel proconsulis vel imperatoris habere, ut docet Domitianus, cum Tito esset in imperio socius, Albinus a Severo ascitus (Herod. III c. VI 4), Alex Severus, Elagabali socius (Herod. V c. VII 10). Omitto titulum principis iuventutis, quia nullam potestatem indicat.

3) Imperatoris nomen et tribunicia potestas collata est in Titum (Eckhel VI p. 324, 351) et Traianum (Plinii paneg. 8), tribunicia potestas et proconsulatus in Aelium Verum (Orelli-Henzen 814, 827).

4) Eckhel VII p. 44 sq. tribuniciae potestati coniunxit ius quintae relationis (Capit. M. Anton. 6).

Sed obiciat quis, cur ego praetermiserim quod aperte prodidit Spartianus, ab Hadriano in nominandis Caesaribus et delegando imperii consortio gravissimam mutationem inductam esse. Ait ille[1]: '(Aelius Verus) primus tantum Caesar est appellatus non testamento, ut antea solebat, neque eo modo, quo Traianus est adoptatus, sed eo prope genere, quo nostris temporibus a Vestra Clementia Maximianus atque Constantius Caesares dicti sunt, quasi quidam principum filii viri (?) designati maiestatis Augustae heredes.' Et sane operae pretium erit, hunc locum, in quo adhuc docti viri haerent[2]), breviter explicare. Primum dicit Spartianus, homines ante Traianum ad Caesaris appellationem testamento ascendisse, h. e. testamento eius, qui ante eos Caesaris dignitatem teneret, neque ante quam testamenti auctor e vita decessisset[3]). Hoc quidem veritati prorsus contrarium esse, quis est, qui ignoret? Namque et Augustus et Tiberius optima gaudebant valetudine, cum filios et nepotes sibi Caesares circumdarent. At quamvis falsum hoc sit et ridiculum, non tamen desinit esse sententia Spartiani, immo simpliciter huic opinioni assentitur Aurelius Victor, quippe qui dicat, imperante demum Traiano nomina Augusti et Caesaris divisa esse, ita ut *simul* unus Augustus summum imperium teneret, alter Caesar diceretur et minore potestate ornaretur[4]).

---

1) Spart. Ael. Ver. 2.

2) Laborem quem in eo incassum impenderint Tillemont (II 3 p. 917), Casaubonus et Salmasius (in annotationibus ad hunc locum), Spanhemius (in observationibus ad opp. Iuliani Lipsiae 1696, p. 47), Zoëga (in nummis Aegytiacis p. 162), Eckhel (VIII p. 369), apud ipsos, si libet, auctores videas.

3) Gaium Caligulam non Caesarem quidem, sed *successorem* imperii Tiberii testamento factum esse, tradunt Suetonius (Calig. 14) et Dio LIX 1. Hinc fortasse nata est falsa opinio, qua omnes non solum imperatores, sed Caesares testamento factos esse, Spartianus eiusque auctores crediderunt.

4) De Caesaribus XIII. Non est, quod errorem eiusmodi scriptorum mireris, at certe mireris, quod adhuc recentiores scriptores eorum verba exscribunt et imperii consortionem ab Hadriano institutam esse contendunt. Haec legas e. g. in Becker-Marquardt, Handbuch der Röm. Alterthümer II, 3 p. 305 anm. 1357; Walter, Röm. Rechtsgeschichte (ed. 3.) §. 273.

Ita postquam priorem partem testimonii a Spartiano editi plane futilem esse, monstravi, iam exploranda est altera. Aelium Verum etiam non ita, ut Traianum, Caesarem esse factum contendit Spartianus, sed ita, ut videretur filius et designatus Augusti successor. At profecto etiam Traianus factus est et filius et Caesar et designatus Nervae successor[1]). Ubi igitur diversitatem prehendit Spartianus? Haud dubie in eo, quod credidit, Traianum non *designatum* fuisse Nervae successorem, sed Caesarem factum statim illi successisse. Etenim certum est temporibus Spartiani multos falso opinatos esse, Nervam Traiano adoptato protinus imperio se abdicasse, adoptatumque Traianum ei *suffectum*, non designatum esse Augustum[2]); quam fabellam cum Spartianus foveret, nil mirum est, quod Aelium Verum alio modo Caesarem et imperii consortem factum esse dicit, quam Traianum.

§. 3. *De Augustis et Caesaribus, quos imperatores inde a M. Antonini temporibus assumpserunt.*

Satis notum est, Augustum eiusque successores ea potissimum mente Caesares ascivisse imperiique participes eos fecisse, ut hi in imperii maiestatem sibi succederent. Sed si plures erant unius Augusti Caesares et dominationis consortes, quis debuit succedere? Hoc quotiens ante M. Aurelium usu venit, semper unus tantum successor extitit, sive natura sive nece aemuli extincti sunt[3]), sive ex patris testamento iunior Caesar, se minorem imperii fratris participem fieri, contentus esse debuit[4]), sive tandem unus e duobus Caesaribus ob mino-

---

1) De successione cf. Plin. paneg. 9.

2) Hanc fabulam legimus in libro de mortibus persecutorum (qui Caecilio cuidam a codice manuscripto attribuitur; hunc tamen non esse Caec. Lactantium monstrare conatus est Le Nourry, cuius dissertationem habes in Mignii editione Lactantii) c. 18; eandem exhibet Aurel. Victor XII.

3) Exempla praebent Gaius et Lucius Caesares, Germanicus eiusque filii.

4) Tiberius testamento imperium inter Gaium et Tiberium dividi prae-

rem in imperio auctoritatem et remotiorem cum mortuo Augusto affinitatem sibi imperium a senatu deferri, nullo modo affectabat[1]). Postremo evenit, ut Stoicus, cui philosophiae suae praecepta re vera cordi erant, imperatoriam sellam conscenderet, titulum autem eius successionis, quem ex adoptione antecessoris traxerat, alius cum eo simul accepisset. Quamobrem ille non immemor, sua cuique esse tribuenda, nil antiquius habuit, quam ut aemulum integrae suae dignitatis participem redderet. Sic primum evenit, ut Romani duos Augustos, M. Antoninum seniorem, L. Verum iuniorem imperatorem haberent[2]). Unum si excipias, quod sibi M. Antoninus pontificatum maximum, h. e. summum rerum sacrarum regimen, reservarat[3]), unicuique plane eadem in re publica auctoritas cessit[4]), ideoque, quod vix commemorare necessarium est, ornabatur uterque tribunicia potestate, titulis imperatoris et proconsulis[5]). Quapropter omnia, quae essent maioris momenti, ex communi consilio decernebant perficiendaque curabant[6]), et

---

cepit vel potius hoc se optare senatui et illis imperii candidatis declaraverat (Suet. Calig. 14. Dio LIX 1, quae mihi Höckius perperam videtur impugnare); etiam Vespasianus relictis duobus filiis de successione testamentum fecit (Sueton. Domitian. 2).

1) Ita Germanicus mortuo Augusto nullam Tiberio contentionem movit.

2) Spartian. Ael. Ver. 5. Videri possit ex inscriptione Muratorii (Corpus inscr. 315, 3) Traianus una cum Nerva Augustus fuisse. At Proculum ibi memoratum consulem suff. esse anni 97, ad eumque annum inscriptionem referendam esse optimo iure refellit Aschbach (Die Consulate der röm. Kaiser von Caligula bis Hadrian. p. 61).

3) De la Bastie, du souverain pontificat des empereurs Romains (mémoires de l'academie des inscriptions et belles lettres XII p. 355 sq.). Quamquam etiam hoc non est citra omnem dubitationem, cf. Orelli-Henzen n. 875.

4) Aristides or. 16 (ed. Dindorf.) tom. I p. 392: *οὐκ ἀρχὴν προςλαβεῖν μᾶλλον ἐζήτησεν* (M. Antoninus), *ἢ βασιλέα προςλαβεῖν ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἴσοις*. Cf. Ammian XXVII c. VI 16.

5) Orelli-Henzen 878, 3682.

6) Aristides tom. I p. 394: *Ὦ θαυμασιοῦ μὲν τοῦ μηδὲν δεομένου βασιλεύειν, εἰ μὴ δοκοίη τῷ ἀδελφῷ, θαυμαστοῦ δὲ τοῦ μὴ δεχομένου βασιλεύειν, εἰ μὴ σὺν τῷ ἀδελφῷ.*

cum innumera, quae communi consilio agere non possent, uterque eadem auctoritate fretus per totum orbem Romanum perageret[1]), tamen ea omnia tamquam ab utroque Augusto ordinata utriusque subscriptionem ferebant[2]). Denique ut omnes in re publica magistratus et milites scirent, se ab utroque imperatore institutos esse et utrique obedientiam debere, dicebantur magistratus non unius, sed duorum Augustorum[3]). Neque erat, quod in duobus Augustis imperii unitatem conservaret, nisi bona imperantium voluntas, ut in communi consilio potiori sententiae se submitterent et de gerenda re publica tantopere consentirent, ut omnia, quamvis a diversis personis gesta, una tamen ex mente procedere viderentur. Maximi vero momenti erat patria quaedam auctoritas, qua erga L. Verum utebatur M. Antoninus, rursus filii amor et veneratio, qua L. Verus non ex lege ulla et constitutionibus, sed sua sponte se consiliis M. Antonini submitteret[4]).

Ita cum primum exemplum duorum in re Romana Augu-

1) Huc pertinet, quod L. Verus in bello contra Parthos gerendo populis in clientela Romanorum constitutis reges dedit (Capit. in Vero imp. 7. Eckhel VII 91), praesides in Oriente instituit (Ver. imp. 7), et tandem laxata cum M. Antonino concordia 'multa sine fratre disposuit' (Verus imp. 8). Ideo et scriniis (ab epistolis, a libellis, a memoria, a rationibus), et proprio consilio principis usus est L. Verus, cum bellum contra Parthos gereret et in Oriente commoraretur (Capit. M. Anton. 8).

2) Testatur hoc multitudo rescriptorum et constitutionum 'divorum fratrum' in Digestis obvis vel Codex II 13 2. Item minima in gubernanda re publica negotia utrique imperatori ascribebantur, cf Orelli-Henzen 4997, 6149 (HONORATI. EQVO. P. AB. IMPERATORIB. etc.), 6522. Quamquam hanc regulam omni exceptione non carere observavit Pagius (Critica in ann. Baronii a. 162, 2).

3) Orelli-Henzen 3574 (BASSAEO. PR. PR. IMPERAT. AVRELI. ANTONINI. LVCI. AVRELI. VERI. etc.), 6522. Gruter corp. inscript. 1101, 5: EVOC. AVGG. M. ANTONINI. ET. COMMODI. Item haud dubie evocati et milites M. Antonini et L. Veri erant. Etiamsi non ad eundem M. Aurelium et L. Verum, sed ad idem institutum referendi sunt illi quaestores candidati Augg. procuratores Augg., legati Augg etc., quos facile invenies in indicibus Henzeni vel Mommseni.

4) Capit. Ver. imp. 4.

storum extitisset ac rei Romanae laetum et salutare contigisset, non cunctati sunt successores M. Aurelii, quo minus idem imitarentur. Nummos enim et inscriptiones si consideraverimus, hoc agnoscere possumus, inductam esse inde a M. Aurelio consuetudinem, ut illi, qui nominati erant Caesares, simulatque tribuniciam potestatem sive solam sive una cum titulo proconsulis imperatorisve accepissent, aut statim [1]) aut paucis mensibus post [2]) Augusti appellatione ornarentur. Hinc admodum imminuta videtur Caesaris dignitas, quippe cui inanes tantum tituli principis iuventutis vel nobilissimi restarent, vel receptio in quaedam sacerdotum collegia [3]). Quamvis igitur illis quaedam indefinita summi imperii κοινωνία relicta fuerit [4]), tamen merito dixeris, illos de hereditate potestatis priorum Caesarum veluti parvum legatum accepisse. Sed tamen quaeritur, num inscriptiones et nummi, quae adhuc secutus sum, Caesaribus nimium de vera dignitate derogent? Si enim scriptores historiae Augustae perlegas, hoc tibi admodum mirabile occurret, ut illi non tantum L. Verum *Augustum* fuisse dicant, sed etiam, si duo imperatores ex voluntate praecedentis Augusti sive decreto senatus dominationem simul accepere, utrumque *Augustum* appellent [5]), e contrario omnes alios, quos a seniore Augusto

1) Exemplo sunt Caracalla (Eckbel VII p. 199 sq. VIII 422 sq. Orelli-Henzen 3687), Geta (Eckhel VII 227 sq. VIII 426 sq.), Philippus II (Eckbel VII p. 333 sq. VIII p. 441 sq. Orelli-Henzen 6859).

2) Exemplum praebet Commodus (Eckhel VII p. 102 sq.).

3) Exempla habes in Albino (Eckbel VII p. 161 sq.), in Geta, antequam Augustus fieret (Eckbel VII p. 227 sq.), Diadumeniano (Eckhel VII p. 240 sq.), Alex. Severo (Eckbel VII p. 267), Maximo (Eckhel VII p. 297 sq.), Gordiano III (Eckhel VII p. 309), Philippo II (Eckbel VII p. 333), Salonino (Eckhel VII p. 421). Exceptionem praebent Herennius Etruscus et Hostilianus Caesares, qui per anni spatium tribuniciam potestatem habebant (de quibus disputarunt de Rossi et Borghesi: Bulletino dell' instituto di corrispondenza archeologica 1852 p. 15 sq., 132 sq.), tum Carus et Carinus Caesares, qui simul proconsules dicebantur (Orelli-Henzen 1045).

4) Herodian. II c. XV 5 sq., III c. VI 4, V c. VII 10. Capitolin. Albin. 7. Macrin. 5, 6. Maximini duo 8, 17. Zonaras XII 19.

5) Capitolin. M. Antonin. 7. Gordiani 17. Maximus et Balbin. 1, 2.

assumptos in inscriptionibus titulo Augusti decoratos videmus, solum Caesares appellatos esse tradant[1]). Respondeas tales scriptores, si cum lapidum aerisve titulis dissentiant, prorsus esse negligendos. Et sane non agerem equidem patronum scriptorum historiae Augustae, si isti soli dissentirent. Quid autem si Herodianus[2]), si Cassius Dio iis accedunt? Si Aurelius Victor[3]), Eutropius, Zosimus, Zonaras catervam complent? Iam profecto desinas affirmare, tantam dissensionem a simplici auctorum negligentia proficisci; explorandum potius esse, quo scriptores et inscriptiones concilientur, concedes; quod ut via et ratione proferre possim, paulo amplius in historiam imperatorum digredi necesse est. Refert Eutropius, Diocletianum sibi Maximianum primum (a. 285) Caesarem assumpsisse, postea (a. 292)[4]) Augustum eum fecisse[5]). Sed opponuntur Eutropio nummi et inscriptiones, quibus Maximianus a. 286 iam Augustus appellatur[6]). At horum testimonio rursus oppo-

---

1) Quod Caracallam primum Caesarem, tum 'participem imperii' a Severo factum esse narrat Spartianus (Sever. 16), id multi falso sic acceperunt, ac si Augustum eum appellatum esse dixisset. Sed hoc Spartianum nequaquam cogitasse vel inde efficitur, quod nonnullis demum annis post milites temptasse narrat, ut Caracallam per vim et seditionem *Augustum* facerent (Sever. 18.). Quare etiamsi voces *imperator* et *Augustus* saepe synonymae esse videntur (de mort. pers. 18, 25, 32. Panegyrici veteres V, 1, 2, 3, 5.), hic Spartiani locus docet, etiam diverso sensu usurpari eas potuisse.

2) Herodianum minime fugit utrumque Gordianum (VII c. VII 4.), Maximum et Balbinum (VII c. X 8) σεβαστοὺς fuisse. Cur non dicit Severum sibi Caracallam et Getam σεβαστοὺς fecisse? Quod enim αὐτοκράτορας eos dicit (III c. IX 1), hoc non est, eos fuisse Augustos, sed imperatores.

3) Is quoque Hostilianum et Trebonianum Augustos fuisse dicit, quippe qui simul imperium acceperint (de Caess. XXX), sed assumptos a seniore Augusto Caesares tantum nominat (Commodum c. XVI, Caracallam XX, Etruscum XXIX, Gallienum XXXII). Insolentius loquitur *Epitome de Caesaribus,* ubi Gallienum a Valeriano Augustum factum esse autumat (c. XXXII); sed eiusmodi exceptio regulam non potest tollere.

4) De notationibus his chronologicis infra disseram.

5) Eutrop. IX 22. Idem ex Eutropio descripsit Orosius.

6) Eckhel VIII p. 16. Orelli-Henzen 1048, 6922. His fretus argumen-

nendi sunt panegyrici oratores. Scilicet non est dubium, quin circumspecti illi et blandientes rhetores et magna titulorum scientia freti, cum coram imperatore orationem haberent, anxie hoc evitaverint, ne forte minore titulo aures eius offenderent. Itaque Diocletianum vel Constantinum, postquam factus est Augustus, numquam Caesares ab eis appellatos videbis, sed principes, imperatores, *Augustos*. Nimirum apertis verbis dicunt, Augusti titulum maiore homines dignitate ornare quam nomen Caesaris [1]).

Iam legas mihi primam panegyricorum veterum orationem, quae habita est coram Maximiano circa annum 289 [2]). Frustra ibi quaeritur nomen Augusti, sed minor Caesaris titulus saepius procedit [3]); e contrario in orationibus habitis post annum 292 Maximianus numquam Caesar appellatur [4]). Quid igitur? Num hanc quoque cum inscriptionibus et nummis dissensionem neglegentiae praescriptione notabis? Et quid si omnibus illis testibus etiam Ammianus accedit? Ait enim ille de Valentiniano [5]): 'In hoc tamen negotio morem institutum antiquitus supergressus

---

tis ait Mommsen (Ueber das Edict Diokletian's de pretiis rerum venalium p. 50): 'Von Maximian hat schon Tillemont wahrscheinlich gemacht, dass er im Jahr 285 Caesar und — nach des Idacius Zeugniss — am 1. April 286 Augustus ward'. Sed Idacius huic opinioni nullum praebet adminiculum. Nimirum ille Maximiani nullam fecit mentionem ante quam anno 286 Imperatorem eum factum esse narravit. Qui si credidisset, Maximianum a. 285 iam Caesarem esse factum, hoc referre non omisisset: cum autem silentio hoc praetereat, sequitur, ut e mente Idacii nulla ante annum 286 sive imperatoria sive Caesarea dignitas Maximiano contigerit, unde porro consequitur Idacium errasse et testimonium eius nihil valere.

1) Paneg. V 5.

2) Cf. Clintonis fasti Romani a. 289.

3) Paneg. I 4, 6 (his).

4) Augustus dicitur paneg. IV 21. Confitendum tamen est ante Diocletianum illos, quos inscriptiones Augustos, rerum scriptores Caesares dixerunt, in epistolis vel orationibus Augustos appellatos esse; e. g. Commodus ab Aristide in or. 41 p. 762. Lamprid. Diadumen. 8.

5) XXVII c. VI 16.

non Caesares sed Augustos germanum nuncupavit et filium (Valentem et Gratianum[1])'. Ecce, gravissimus auctor inter Romanos aevi posterioris Capitolinis et Spartianis socius et testis contra inscriptiones aggregatur. Sed, quod est multo magis observandum, suppeditat simul solutionem totius quaestionis, dum pergit in hunc modum: 'Nec *enim* quisquam antehac ascivit sibi *pari potestate* collegam, praeter Principem Marcum, qui Verum adoptivum fratrem absque diminutione aliqua auctoritatis imperatoriae socium fecit'. Ergo omnes qui ante Valentem et Gratianum praeter L. Verum collegae ab imperatoribus fuerunt asciti, non Augusti, sed Caesares fuere. Cur tandem? Ideo quia nemo parem cum seniore Augusto habuit potestatem. Itaque rerum scriptores et publici laudatores eum, cuius non *aequalis* est cum imperatore potestas, *Caesarem* dicunt, nummi et inscriptiones vel publica acta[2]) *Augusti* nomen addunt ei qui *eximiam* aliquam dominationis habet partem. Sic Maximianus inde ab anno 285 tribunicia potestate, imperatoris et proconsulis pontificisque maximi[3]) nominibus ornatus erat, ideoque in inscriptionibus et publicis actis *Augustus* dicitur, idem tamen, non eadem qua Diocletianus pollens potestate a scriptoribus et

1) Hunc locum suo arbitrio potius quam ex veritate interpretatus est Tillemontius (IV 1 p. 502): 'Ammieu prétend, que hors M. Aurèle aucun Empereur n'avait donné *d'abord* à un autre le litre d'Auguste jusqu'à Valentinien etc.' Illud *d'abord* frustra quaero apud Ammianum, qui potius dicit, omnino neminem (praeter L. Verum, quem protinus excipit) ab imperatore Augustum ascitum esse. Ceterum non est hic sermo de iis, qui, sicuti Maximus et Balbinus vel Constantius et Galerius (post abdicationem Diocletiani), imperium *simul* accepere, nec de iis qui inordinate in bellis civilibus post abdicationem Diocletiani in hanc dignitatem involavere.

2) e. g. in legibus, quarum subscriptiones eosdem ferunt Augustos quibus illum titulum tribuunt inscriptiones.

3) Eckhel VIII p. 16. Orelli-Henzen 1054, 1356, 6922. Imperator, dicitur paneg. I, 1, 2, 5 etc. pontificis max. titulus addebatur collegis imperii inde ab anno 238 (Cf. praeter dissertationem Baronis de la Bastie supra laudatam Eckhel VIII p. 383 sq.), utrum simul summa de rebus sacris potestas delata sit, non liquet.

oratoribus *Caesar* nominatur. Anno tandem 292, cum Diocletianus integram imperatoris auctoritatem ei demandasset, etiam a scriptoribus et oratoribus[1]) *Augustus* appellatur[2]).

Caput II.

De imperio a Diocletiano inter duos, mox inter quattuor principes distributo.

Postquam praegressi capitis quaestionibus expositum est, quomodo Caesares et Augusti ab imperatoribus ante Diocletianum in consortium potentiae asciti sint, iam in via munita ad ipsum Diocletianum pergere licebit. Ac primo quidem dicam:

§. 1. *De Maximiano Caesare.*

Anno 285 assumpsit sibi Diocletianus in administrando et defendendo imperio socium, *Caesarisque* nomine honoratum simul imperatoris, proconsulis et pontificis maximi titulis decoravit et tribuniciae potestatis compotem fecit[3]). Qua in re quamquam permultorum iam imperatorum exempla praeiverant, hoc tamen novum erat, quod, cum illi inde a M. Aurelio

---

1) Paneg. IV 21.

2) Scio hoc cum Ammiani verbis ante memoratis non omni ex parte convenire. Sed is, cum Valentis et Gratiani imperium cum prioribus in consortium imperii receptis compararet, solum L. Verum invenit, quem senior Augustus statim a principio aequo imperio dotavit, h. e. Augustum fecit, plurimos qui Caesares fuerunt, unum Maximianum, qui primo Caesar, deinde Augustus fuit. Quid igitur mirum si Ammianus in comparatione brevius quam accuratius Maximianum in numero posuit eorum, qui tantum Caesares fuere?

3) Orelli-Henzen 1048, 1052. De anno cf. Tillemont III 1 p. 500 sq. Mommsen, das Edict etc. p. 50.

filios sibi natos vel adoptione creatos sociasssent [1]), ipse alienum hominem, nullis nisi amicitiae vinculis adstrictum elegit, *M. Aurelium Valerium Maximianum.* Hunc nascentem paupertas et angustiae rerum circumsteterant, sordesque omnis eruditionis expertem in castra militaria deduxerant, ubi Aureliani et Probi auspiciis, cum rarae in pugna audaciae et prompti animi exempla daret, mox egregius militum ductor evasit [2]). Ceterum horridi ingenii, pronus ad iracundiam et saevitiam, solo aspectu terribilis erat. Libidinum stimulis obnoxius in administranda re publica modo neglegens erat et prodigus, modo saeviens tyranni arbitrio [3]). Verum Diocletianum haud magnopere commovebat, si innocentes possessores a Maximiano accusati et circumventi interficerentur, ut bonis suis fiscum eius replerent, si corrupti iudices et exactores provincias vexarent, dummodo audiret, Bagaudas a Caesare esse concisos, Germanos e Galliis depulsos, militemque Romanum in ipsa Germania super incensis aedibus et trucidatis barbarorum catervis exultare. Praeter bellicam eius virtutem Maximianum commendabat singularis in Diocletianum amor et religiosa quaedam veneratio, qua stolidum ingenium superiorem Augusti sapientiam suspiciebat. Hinc factum est, ut Maximianus, quamvis imperandi cupiditate non minus arderet, quam libidine et luxuria [4]), commotus amore et veneratione Diocletiani ceteris affectibus suis ita moderaretur, ut in gerenda re publica nihil ei dulcius praestantiusque videretur, quam Diocletiani consilia exequi miranti semper sapientiam eius et cumulanti amoris sui testi-

---

1) Excipiendus est Severus, qui Albinum Caesarem fecerat, sed ea mente, quo facilius eum proderet perderetque.

2) Vopisc. in Probo 22, Aurel. Victor de Caess. XXXIX 17, 28; Epitome de Caess. XL 10; Paneg. I 2, 6.

3) Lamprid. Elagabal. 35; Vopisc. Aurelian. 44; De mort. pers. 8; Eutrop. IX 27.

4) Ob eam cupiditatem quomodo post ipsum filium et generum imperio spoliare temptarit, legas in Gibbonis history of the decline and the fall of the Roman empire.

monia [1]). Sed iam investigandum est, quantum imperii Diocletianus Caesari Maximiano tribuerit, in qua quaestione enodanda rerum monumenta quaerentem saepius deserunt. Ac primo loco observandum est, Diocletianum priorum imperatorum consuetudinem eo supergressum esse, quod, cum illi imperii socium plerumque secum habuissent et tunc tantum, cum gravior necessitas urgeret, imperii partem ei administrandam tribuissent, ipse Maximiano statim a principio magnam orbis Romani partem delegavit [2]). Quamquam quo haec terrarum divisio accuratius circumscribatur, non est traditum, pars tamen a Diocletiano retenta a Tigride usque ad fines Galliarum videtur porrecta fuisse [3]), cum Maximianus Gallias, Britanniam, Hispanias accepisset [4]). Sed ipsa Italia et Africa utri cesserint, in medio relinquam, quaesiturus iam, quae Maximiani in suis provinciis potestas fuerit. Cum praecipuum Diocletiani consilium esset, ut socius hostes quoscumque e proximis castris opprimeret, necessarium fuit, ut Maximianus legiones, quae suam orbis Romani partem defendebant, suo imperio subditas haberet. Quod ipsum scriptores testantur eo, quod, ubi Galliarum legiones Bagaudas vincunt vel Germaniae pagos devastant, non Diocletiani, sed Maximiani auspiciis victoriam tribuunt [5]). Ut autem qui milites ducebat, vitae necisque ius tenebat, ita Maximianum milites, etiam in summo militiae ordine constituti, summum iudicem verebantur [6]). Idem tandem, qui

---

1) Aurel. Victor XXXIX 17 De mort. pers. 8, 18; Paneg. I 4: 'Tu (Maximiane) fecisti fortiter, ille sapienter'; adde II 8, 11, 12.

2) Paneg. I 14: 'Tuque (Maximiane) potissimum — credo enim hoc idem Diocletianum *Oriens* rogat — has provincias *tuas* frequenter illustres'.

3) Duxit enim Diocletianus exercitus a Tigride usque ad fontes Danubii (Paneg. I 9, 10. II 6).

4) Etenim circa Gallias et Britanniam Maximianum potissimum occupatum videmus; quae si velis accuratius cognoscere, legas Muratorii Annali d'Italia.

5) Luculente hoc testantur duae primae panegyricorum veterum orationes.

6) Exemplum est Carausii condemnatio (Eutrop. IX 21; Aurel. Vict. XXXIX 21)

bella contra vicinos populos gerebat, pacem quoque cum iis facere potuit et omnia cum iis negotia disposuit adeo, ut etiam a Maximiano regem Francis impositum esse legamus[1]).

Nec tamen imperium militare solum Maximiano commissum est. Summum etiam civile regimen in sua orbis Romani parte ei demandatum esse, docet nos panegyricus orator, sed verbis tam magnificis et vagis, ut nihil de singulis eius potestatis partibus appareat, nisi hoc, Maximianum quodam modo de iustitia in praesidum iudiciis ceteraque provinciae administratione vigilasse[2]). Porro illud ad civilem eius potentiam pertinet, quod proprium aerarium, in quod praeda hostibus erepta referenda esset, eum tractasse, Aurelius Victor commemoravit[3]). Ad quae si addas, eum exercuisse ius proponendi rescripta, quibus praesides provinciarum obsequi deberent[4]), omnia habebis, quae de Maximiani imperio nobis tradita sunt. Sed prae ceteris hoc aegre ferimus, quod nullum nobis testimonium relictum est, quo doceamur, quatenus Maximianus Diocletiani imperio subordinatus fuerit; nisi quod huic quoque quaestionis parti vagus panegyrici oratoris sermo paulum lucis affundit. Mamertinus suo dicendi more tumido et parum dilucido ad Maximianum loquitur: 'Omnibus pulcherrimis rebus Diocletianus *facit*, *tu tribuis* effectum'[5]). Quem ego locum cum Arntzenio[6]) ita intellego: 'Diocletianus consilio suo res ita moderatur, ut effectum habere queant, sed Maximianus sua virtute id quod est dispositum ad effectum perducit'; quam sententiam confirmat, quod ante idem orator suggessit, Dio-

---

1) Paneg. I 10.

2) Paneg. I 3. *Iudices* ibi commemorati praesides sunt provinciarum (cf. Gothofredus ad Cod. Theod. XV, 1, 2).

3) De Caess. XXXIX 21.

4) Hoc monstravit Mommsenus, qui de historia Diocletiani inter recentes scriptores optime meritus est (Ueber die Zeitfolge der Verordnungen Diocletian's. Abhandlungen der berliner Academie 1860 p. 419 sq.).

5) Paneg. I 11.

6) Vide annotationum congeriem in editione Arntzenii.

cletianum esse sicuti Iovem, qui coelum sua sapientia regat, Maximianum alterum Herculem, sua virtute pacatorem terrarum[1]). Hinc liquet, fuisse penes Diocletianum, praecipua quaedam in gerenda re publica negocia disponere, quae Maximianus prompto obsequio ad effectum perducere deberet. Ceterum Diocletianus unius imperii et indivisi ideam eadem qua antecessores eius cura servabat. Itaque edicta et rescripta, omnia denique, quae in re publica ab uno imperatore erant facta, sive erat pax concessa hostibus nominis Romani, sive moenia urbis instaurata, utriusque principis nomina praescripta ferebant[2]). Attamen interdum evenire debuit res tanti momenti, ut unus imperator eam solus perficere non auderet. Erat exempli gratia lex sancienda eiusmodi, quae iura civium vel instituta rei publicae magnopere afficeret et commutaret, aut pax erat facienda, qua fines et opes imperii moverentur. Quid? si unus disposuisset, quod alter rei publicae damnosum vidisset? Nam illud ne in Maximiano quidem fieri potuit, ut in omnibus idem ac Diocletianus sentiret. Quare gravissimis negotiis communem consultationem adhiberi, opus fuit. Ut autem minora quoque negotia uno saltem consilio peragerentur, necessarium erat, colloquiis vel litterarum commercio easdem in utroque de administranda re publica normas confirmari[3]).

§. 2. *De Maximiano Augusto, Constantio et Galerio Caesaribus.*

Aliquamdiu Diocletianus institutionis suae fructu gaudebat: admirabilis enim erat utriusque imperatoris in gerenda re publica consensus et gloriosa virtus, qua hostes nominis

---

1) Paneg. I 4.

2) Praeter Codicis constitutiones cf. Orelli-Henzen n. 1052, 1054.

3) Sic duo imperatorum conventus memorantur paneg. I 9, II 12. In ultimo conventu de creandis Caesaribus deliberatum esse coniecit Muratorius (anno 291), cui libenter consentirem, si Caesarum nominatio statim evenisset.

Romani debellabant[1]). Scilicet Augustus cum Persas ceterosque, qui Orientem devastarant, barbaros bello sibi supplices fecisset, Maximianus et Gallias rebellium colonorum furore liberavit et Rheni limitem adversum Germanos feliciter obtinuit. Sed cum paene pacatus videretur orbis terrarum, rursus turbae novos terrores excitarunt. Quippe Carausius, qui in Britannia rebellaverat, repulit classem, qua eum aggressus est Maximianus[2]), tum vetus illa militum libido et perfidia in Africa Iulianum, in Aegypto Achillem tyrannos creavit; simul Quinquegentianorum fera natio Mauretaniam invaserat, et Persarum copiae conflictato imperio denuo imminebant[3]). In hac concurrentium periculorum multitudine duo imperatores tot seditionibus occurrere impares se esse intellegebant. Nam si Diocletianus Aegyptum cum exercitu ingressus esset, Persarum equites Mesopotamiam Syriamque involaturi erant; rursus si Maximianus Mauris opem tulisset, vel Africam tyranno liberasset, Germani in civtates Galliarum irrupturi erant[4]).

Ita imperii moles cum labaret, Diocletianus omnia prius temptare voluit, quam ut se superari imperiumque deinde rebellibus cedere pateretur. Cum autem provinciarum rectores minoribus exercitibus imperarent, quam quos hostibus posset opponere nec committere sustineret multarum provinciarum militares copias uni praesidi, omnem contra adversarios defensionem imperatoribus reservare cogitabat. At duo imperatores cum ob imperii magnitudinem tot hostium incursum repellere non possent, obvium erat remedium denuo multiplicandi numerum imperatorum.

Verum tamen tantum imperium inter plures homines divisum nonne aemulationem et invidiam sociorum excitare debuit?

---

2) De mort. pers. 8, 18; Paneg. II 6—13.

1) Eutrop. IX 22.

2) Eutrop. IX 22; Aurel. Vict. XXXIX 22, 23; Paneg. III 21, V 8.

3) Germani quam fuerint timendi, paulo post ostendit Constantius, qui bellum contra Carausium ante suscipere non audebat, quam Maximianus ad Rheni custodiam advenisset (Paneg. IV 13).

Num erat difficile praevidere, inter plures principes eventurum esse, ut unusquisque nihil appeteret ardentius, quam ut collegarum imperia suo adiungeret? Profecto ingeniosius postea legit Constantinus, cum divisis officiis civilibus et militaribus iis, quibus dempserat civilem potestatem, militare imperium sine timore maius reddere posset. Sed Diocletianus rationibus suis insistens decrevit duos viros ad Caesareum imperium nulli nisi Augusto subordinatum extollere. Cum autem Maximiani ambitio aegre latura foret, si duo ei collegae Caesares aggregarentur, caute omnia circumspiciens Diocletianus primum Maximiano parem cum sua potestatem detulit eumque Augusti nomine honoravit. Deinde persuasit novo Augusto, ut sibi in sua imperii parte Caesarem substitueret, pollicitus idem se facturum in sua dominatione. Itaque Maximianus, usus haud dubie et permotus Diocletiani consilio, *Fl. Valerium Constantium* in Occidente Caesarem creavit, cum Diocletianus Nicomediae *Galerium Valerium Maximianum* ad Caesaris dignitatem elevaret (anno post Chr. 292 [1]).

Erat ille Constantius, quamvis magnus avunculus eius esset imperator Claudius, homo litteris parum eruditus, sed eo maiore erga doctes viros amore repletus, praestans acumine

1) De anno cf. Tillemont IV 1 p. 513. Mommsenus (Edict. de pret. rer. ven. p. 50) annum 293 vindicare studet, quia Galerins et Constantius anno 301 trib. pot. IX nominantur. At certum est, Galerium Kalendis Martiis (Clinton a. 292) Nicomediae (de mort. pers. 19) a Diocletiano Caesarem esse factum; Diocletianum vero Kal. Martiis anni 293 Nicomediae non fuisse ipse Mommsenus demonstravit (Zeitfolge etc. p. 428—35). Praeterea Aurelius Victor et annonymus Valesii anno 292 Caesares nominatos esse dicunt (Tillemont l. c.). Hnic si addas computationem tribnniciae potestatis imperantibus Gallieno, Aureliano, Licinio omnino confusam inveniri, facile a te impetrabis, ut sub Diocletiano qnoque testimonium tribuniciae potestatis abicias. Qnod antem ad Caesarum creationem attinet, observandum est, minime Diocletianum utrumqne Caesarem appellasse, sed unnm a Maximiano, alterum a Diocletiano declaratum esse. Paneg. V 3: 'Paterni (Constantii) imperii auctor (Maximianns)'; Zonaras XII 31; Chronicon Paschale ed. Bonn. a. 304. Minus accurate Anrel. Victor XXXIX 24; Eutrop. IX 22; Epit. de Caes. XXXIX 2.

ingenii et singulari erga homines benevolentia. Qui cum princeps factus esset, non modo eximia virtute imperium ab hostibus defendit, sed, quod erat multo maius, sua in administrando fisco sapientia, qua thesauros aggerere aspernabatur, provincias recreavit et in exigendis tributis mirum in modum salutem et commoda subiectorum respexit. Optimus princeps tantopere cavebat, ne civium opes suis voluptatibus dederet, ut, cum magnae epulae essent celebrandae, ne argentea quidem vasa imperiali palatio suppeditarent, et tanta erat eius cum subditis familiaritas, ut divites vasa, quae deessent, ei mutua dare se posse gauderent [1]).

Diversum erat ingenium Galerii. Is quoque cum humili loco natus esset, eximius in bello extiterat; sed barbara stimulatus audacia ne vilissimum quidem et periculosissimum exploratoris munus aspernatus est; idemque tanta superbia tumebat, ut non miserum quendam rusticum, sed Martem suum genitorem esse gloriaretur. Litteras non modo ignorabat, sed oderat doctrinae studiosos: eius studium hostium sanguini inhiabat, ei gaudium praebebant homines in arena ab ursis discerpti; etiam vinum ingentibus poculis haurire tantopere gestiebat, ut postremo quotidie renascens sol filium Martis ebrium videret. Omnes eius cupiditates immanem horrendumque virum produnt. Quare cum idem odium, quo contra sapientes aestuabat, in Christianos transtulisset, non destitit, donec in immensa eorum strage debaccharetur; vel cum dominandi cupido in eo arderet, neque amicitia neque veneratio Diocletiani, sed sola necessitas eum coërcebat, quominus ei summum imperium iam tunc eriperet. Talem virum suas provincias expilasse potius quam administrasse, in iudiciis, ut ira aut favor eum moveret, mortem et bonorum ademptionem

1) De Constantio cf. Vopisc. in Caro 16; Aurel. Victor XXXIX 26, XL 12; Eutrop. IX 22, X 1; De mort. pers. 15; Eusebius in vita Constantini I 13, 14, 16; Ce Constantio Chloro, Constantino Magno et aliis imperatoribus excerpta auctoris ignoti (in fine Ammiani Erfurdtii) p. 609.

ob exiguam culpam et rursus in criminibus gravibus veniam dictasse, facile intellegitur[1]). Hi erant mores principum, in quorum favorem Diocletianus, cum titulo tribuniciae potestatis eos ornasset, imperii duas partes ante institutas in quattuor membra distraxit. Reservavit sibi ipse Diocletianus omnes Asiae provincias et Aegyptum cum Libyis; Galerio contigerunt provinciae Europae inde a litoribus Ponti Euxini et maris Aegaei usque ad limites Raetiae. Maximiani imperio subditae erant Raetia, Italia, Africae provinciae praeter Aegyptum et Mauretaniam Tingitanam. Haec Maurorum provincia, Hispania, Galliae, Britannia Constantio commissae erant[2]). Ut Caesares Augustis artius coniungerentur, uterque coniugem suam repudiare, et Constantius Maximiani, Galerius Diocletiani

---

1) Nimia sunt, ut videtur, quae de Galerio tradidit Caecilius (de mort. pers. 9, 21, 22, 23). Sed tamen animadvertas, eum non loqui ut hominem inanes fabulas fingentem, sed res gestas eius referre, horrere, dum replicat memoriam Galerii, et multo maiore de eo quam de ceteris animi motu loqui. At cur horret, nisi re vera horrenda erat sola memoria? Ceterum quae de eo nobis tradita sunt, persecutio Christianorum, et ordo successionis post abdicationem Diocletiani ab eo institutus (cf. cap. II §. 3), optime concordant cum descriptione Caecilii. Cf. praeterea: De Constantio etc. excerpta p. 611; Eutrop. IX 22, 24; Ammian. XVI c. X 3.

2) Eusebius (de martyribus Palaestinae 13) exponit, quae partes Diocletiano et Galerio (postea Galerio, Maximino, Licinio), quae Maximiano et Constantio (postea Constantino et Maxentio) cesserint. Prioribus evenit Lybia, Aegyptus, Syria omnesque provinciae, quae 'ἀπ' ἀνατολῆς μέχρι τῶν κατὰ τὸ Ἰλλυρικὸν κλίμα' sitae sunt. Hic dubitare quis possit, cui Illyricum (Pannoniae, Dalmatiae, Noricum I et II) evenerit; sed hoc ad orientalem (Galerii) partem additum esse, docet Aurel. Victor XXXIX 30, XL 10; Eutrop. IX 25, X 1, de Constantio etc. excerpta p. 610. His testibus adversantur auctoris anonymi excerpta, ubi Severo Caesari, 'qui suscepit quidquid Herculius (Maximianus) obtinebat', Pannonias cessisse perhibetur (De Constantio etc. excerpta p. 610, 611). At certissimum est, saltem Valeriam, Pannoniae partem, Galerio contigisse (Aurel. Vict. XL 9, 10), verisimile, Pannoniam II eiusdem ditionis fuisse (quia Licinius postea eam obtinuit: Eutrop. X 5. Zosimus II 15, 18), unde conicere licet anonymum, ut in multis aliis, ita hic quoque errasse. Cetera quae de hac divisione dicenda sunt, iam dixit Tillemontius IV 1 p. 36 sq. 516 sq.

gener fieri adactus est[1]). Cognomina tandem Iovii et Herculii, quibus Diocletiani superstitio et superbia suam sapientiam et dominationem, Maximiani virtutem et erga se obedientiam directa ipsorum a Iove et Hercule origine evenisse Romanos docere suscepit[2]), Augusti etiam generis suis attribuerunt, unde Constantius Herculius, Galerius Iovius dicebatur[3]). Hoc modo distributis inter principes nominibus et sancita affinitate, iam imperandi potestatem dividere illi et disponere coeperunt, quod quomodo ab eis institutum sit, explicaturus primum de imperio Caesarum agam, deinde exponam, quomodo Augusti aequa potestate usi sint, ultimo loco reservabo, quae quattuor principes in re publica communiter gesserint. Verum de prima quaestionis parte cum fontes non sufficiant, vacuum locum ego ita supplere temptavi ut ea, quae de Caesaribus per quinquaginta post Diocletianum annos nominatis, tradita sunt, νόθῳ τινὶ λογισμῷ imperio Galerii et Constantii accomodem eoque obscuris lucem aliquam afferam[4]).

1) Eutrop. IX 22. Aurel. Vict. de Caess. XXXIX 25. Adoptatos eos esse ab Augustis, certe Constantium a Maximiano adoptatum esse, indicat paneg. V 3. Attamen non video, quomodo simul generi, simul adoptati esse potuerint, nisi filiae Augustorum, antequam Caesarum mulieres fierent, emancipatae et in aliam familiam adoptatae erant, sicut de Octavia, Neronis uxore, tradidit Zonaras XI 10 Constantium adoptatum fuisse indicat Iulianus or. I (opp. ed. Spanhemius) p. 6 D. De Galerio exhibet inscriptionem Gruterus 280, 4: GALERIO. IN. ORIENTE. ADOPT. sed ex Schottii schedis!

2) Paneg. I 1, 2; II 2 etc.

3) Paneg. III 8, 10; V 8. Eckhel VIII p. 30, 36.

4) Analogiam intercedere inter Caesares Diocletiani et posteros Caesares, docet ipse Constantius Augustus, dum Gallo Caesari se similem locum tribuere velle profitetur ei, quem a Diocletiano obtinuit Galerius (Ammian. XIV c. XI 10). At monendum est, Gallum et Iulianum Caesares, de quibus plurima nobis tradita sunt, cum singulari Constantii invidia et suspitione, tum eo praecipue coërcitos esse, quod summi magistratus a Constantino demum inducti, Praefectus Praetorio Galliarum, Comites Largitionum singularum dioeceseon, Magistri militum a Constantio iuxta illos constituti erant (Ammian XVI c. IV 3, c. X 21, XVII c. III 4, c. XVIII 14, XXII c. III 7). Itaque hanc observavi legem, ut ea, quae in Gallo vel Iuliano imperandi maiestatem de-

Ut initium faciam a re militari, certum est, extitisse sicut quattuor principes, ita quattuor exercitus, quorum singuli singulis principibus subditi erant. Caesar exercitus sui erat imperator. Licuit ipsi augere vel supplere numeros militum, disponere, ubi essent legiones collocandae, ad quae negotia sive belli sive pacis adhibendae [1]); et bellum si esset gerendum, Caesar erat summus dux militum [2]). Huic imperio coniunctum erat summum iudicium de militum delictis, tum administratio rerum omnium, quae ad alimenta et stipendia militum pertinent [3]). Caesaris exercitus in ipsius parte imperii castra habebat; hanc ille adversum rebelles et hostes externos tuebatur [4]); hinc inferebat suo arbitrio bellum vel sanciebat pacem cum viciuis nationibus [5]). Sed simul quo summa rerum penes Augustum remaneret, Caesar quaecunque gereret ad suum socerum Augustum referre debuit, laudem eius vel reprehensionem excipere, consilia vel praecepta de rebus gerendis sciscitari [6]). Augustus cum iuberet, etiam ex suae dominationis

---

minuant, non transferrem in Diocletiani Caesares, nisi haec de his quoque in fontibus disertim memorantur.

1) De mort. pers. 7, 18: 'didicerat (Diocletianus) augeri ab eo (Galerio) exercitum', 26, 44. Paneg. III 4 (ne fallat lectorem, quod ea, quae solus Constantius disponit, in hoc capite ab omnibus principibus peragi dicitur; re vera solum Constantium agere, demonstrat c. 6, 7, 8 etc.). De Iuliano similia tradit Zosimus III 3. Item Constantinus filiis suis Caesaribus singulos exercitus tribuit (Euseb. vita Const. IV 51).

2) Paneg. IV 14: 'Belli pro imperii iure praeceptor'.

3) De Iuliano ea memorat Ammian. XVI c. III 3, c. V 11, XVIII c. II 4; Zosimus III 3.

4) Constantium bella sua in Galliis et Britannia gessisse satis notum est. Galerium introducit Caecilius dicentem (mort. Pers. 18): 'Iam fluxisse annos quindecim, * in Illyricum vel ad ripam Danuvii relegatus cum gentibus barbaris luctaretur, cum alii intra laxiores et quietiores terras delicate imperarent'.

5) Exemplum pacis a Constantio cum barbaris se dedentibus compositae paneg. IV 8. De Iuliano cf. Ammian. XVII c. VIII 5, c. X 4 cet.

6) Aurel. Vict. XL 6: '(Galerius) Severum Caesarem arma in hostem ferre propere *iubet*'. De mort. pers. 27; Ammian XIV, c. XI 10. De

finibus excessit Caesar, eique suas legiones suamque manum obtulit, ita ut coniunctis uterque viribus bellum et pacem una facerent, Augusti tamen imperio et auctoritati Caesar obsequeretur [1]).

Ut in bello, ita in pace quoque Caesaris imperium in sua potissimum parte omnes magistratus longe superabat. Praesides cum in sua quisque provincia tam de criminalibus, quam de civilibus negotiis iurisdictionem obirent, Caesari tamen licebat, ubique loco praesidis agere, sive ipse iudicabat, sive alium quendam delegabat [2]); eiusdem clementiae commissum erat, utrum poenas a praeside irrogatas ex parte vel omnino remitteret; denique si iniustam praeses condemnationem dictaverat, relicta erat ad Caesaris tribunal appellatio [3]). Quo melius coërceretur magistratuum libido, Caesar de quavis iniustitia in praesidum ceterorumque magistratuum administratione commissa iudicabat eo usque, ut capitis poenam in eos irrogare posset [4]). Haec Caesaris iurisdictio non solum in ipsius ditione, sed per totum orbem Romanum valebat, vel certe per eam partem, cui socer eius Augustus imperaret, ideoque, si Galerius in Asia commoraretur, nil eum impediebat, quo minus de Syris vel Aegyptis iudicium ferret [5]).

Iuliano cf. Ammian. XVII c. XI 1, XX c. VIII 6. Iuliani epistola ad Senatum Populumque Atheniensem (opp. ed. Spanhemius) p 280 A. Mirifice panegyricus orator eandem rationem inter Maximianum et Constantinum iam Augustum obtinere vult (paneg. V 14).

1) Aurel. Vict. XXXIX 33—37; Eutrop. IX 24, 25; Ammian. XIV c. XI 10; Excerpta e Petri Patricii historia (ed. Bonn.) p. 134 sq.

2) Haec de Gallo et Iuliano tradidit Ammian. XIV c. I 3, 5; XVI c. V 12, 13; XVIII c. I 2.

3) De Maximino Caesare cf. Euseb. de mart. Palaest. 6; De Iuliano Paneg. X 4; Ammian. XVI c. V 13.

4) De Gallo et Iuliano cf. Paneg. X 5; Ammian. XIV c. VII, 20; XVIII c. I 1, 4.

5) Principem, quem Antiochiae eo tempore, quo edictum de ecclesiis destruendis proponebatur (mart. Pal. 2), h. e. mense Aprili (mart. Pal. Protogus) 303 de capite Christiani iudicantem Eusebius introducit,

In fisci administratione tanta Caesares potestate praeditos videmus, ut indictiones et superindictiones ab iis proponerentur [1]), tributaque ipsorum nomine exacta proprium Caesaris aerarium replerent [2]). Haud mirum, si inde in vectigalibus exigendis magna per quattuor imperii Romani partes inaequalitas erat, et subditi Constantii, spectantes modestiam ipsius in indicendis tributis et ceterorum principum avaritiam, se unice felices praedicabant [3]). Sed aliqua, si credimus Caecilio, in censu faciendo unitas servata erat, cum censitores ab Augusto tam in suas, quam in Caesaris terras destinarentur [4]). Eodem autem modo quo fiscum, ceteras quoque administrationis partes Caesares soli videntur tractasse. Namque urbes eos munire vel aedificare audimus, publica aedificia extruere, civitatibus penuria commeatuum pressis frumenta e longinquis provinciis advehenda curare, eaque ut serventur, horrea ponenda imperare [5]). Nec tamen nullo termino restricta fuit haec, quam modo exposui, Caesaris potestas: idem enim, quod in re militari dixi, Caesares omnes res ad Augustum rettulisse, eiusque iussa et consilia secutos esse, hoc etiam in cetera administratione valebat et imperii unitatem conservabat [6]).

Restat, ut ad concludendam de Caesarum in re publica

non fuisse Diocletianum qui tunc Nicomediae erat et inde Romam proficiscebatur (De mort. pers. 17. Mommsen, über die Zeitfolge etc. p. 445), sed Galerium potius intellegendum esse, recte annotavit Valesius (ad mart. Pal. 2.).

1) Euseb. vita Const. I 13; De Iuliano cf. Ammian. XVI c. V 14, XVII, c. III 1—6.

2) Proprium Constantii aerarium indicat narratiuncula in Eusebii vita Const. I 14. Iulianus cum in Galliis esset Caesar, ipse non 'tuebatur thesauros Gallicanos' sed C. S. L. Galliarum, qui ea 'quae posceret Caesar' erogabat (Ammian. XXII c. III 7). At Constantius sibi ipse erat C. S. L.

3) Euseb. vita Const. I 13.

4) De morte pers. 26.

5) Paneg. III 6, 8, IV 21. De Gallo et Iuliano cf. Paneg. X 4. Ammian. XIV c. VII 9, XVIII c. II 4, c IX 1; Zosim III, 5; Libanius I p. 549; Iulianus ad senatum etc. p. 280.

6) Lege locos p. 36 an. 6 citatos.

imperio materiem pauca, quae de magistratibus eorum tradita sunt, exponam Primum si quaero, utrum praefectus praetorio, maximus post principem magistratus, in palalio Caesarum versatus sit, hanc quaestionem negare malim quam affirmare [1]. Quod ad ceteras dignitates in palatio Caesaris versantes pertinet, solum de scriniis (a libellis, ab epistolis, a rationibus, a memoria) certum aliquod nobis traditum est. Eumenius enim orator si *Maximiani* memoriae magistrum se fuisse perhibet, ac simul a *Constantio* se revocatum ab offiicio palatii et scholae Augustoduni praefectum esse gloriatur [2], facile conicias, eum non tantum in Maximiani, verum etiam in Constantii obsequio et obedientia fuisse, h. e. unum utrique fuisse magistrum, ideoque unum scrinium memoriae (inde unum etiam a libellis, ab epistolis, a rationibus) in Maximiani palatio, eo haud dubie modo, quem in Iuliano observavit Valesius [3], scilicet ut Caesari, cum procul ab Augusto abesset, nonnulli ex scriniis officiales ad usum delegarentur. Haec coniectura inde praecipue firmatur, quod Eumenius Conslantium alloquitur: 'Cum me inter adyta palatii *Vestri* alia quaedam sermonis arcani ratio dimoverit'. *Palatii vestri* intellege Constantii et Maximiani, qui uno palatio, h. e. non geminatis officiis palatinis utebantur [4].

1) Asclepiodotum P. P., qui milites Constantii contra Alectum duxit (Eutrop. IX 22), praetorianis praefuisse dicit Aurel. Victor. (XXXIX 42). Praetoriani autem cum Romae castra tenerent, Asclepiodotus quoque Romae erat, id est Asclepiodotus P. P. Maximiani erat, ab illo ad Constantium auxilio missus. Nam non modo Diocletianum, sed etiam Maximianum P. P. habuisse, vix est quod admoneam. Cf. Acta s. Felicis (Acta martyr. ed. Ruinart. Ratisbonae 1859. p. 390.) c. IV, V. Item Maximianus cum factus esset Augustus, habuit P. P. Sabinum (Euseb. hist. eccl. IX 1).

2) Paneg. III 6, 14.

3) Ammian. ed. Erfurdt t. III p. 75.

4) Paneg. IV 1. Constantius solus aut Maximianus solus semper appellatur *tu*, res eius *tuae*. Nec valet praescriptio Eumenium re vera solius Maximiani fuisse memoriae magistrum, sed eadem qua ceteros magistratus fictione quattuor principum magistratum dici. Nam etiamsi sunt praesides, procuratores etc. Augustorum et Caesarum, tamen palatium Augustorum non extitit.

Eadem tandem mente dicit se 'caelestia verba *principum* (Maximiani et Constantii) prolocutum esse'[1]).

Progredientibus nobis a palatio in provincias quo maioris momenti est quaestio, utrum Caesares provinciarum suarum praesides an Augusti instituerint, eo magis aegre ferimus, neque de praesidibus neque de ceteris provinciarum potestatibus eiusmodi quidquam nobis traditum esse[2]): nam vix operae pretium erit in tanta monumentorum inopia commemorare, saltem rhetorem scholae Augustodunensi praeficere Constantio licuisse[3]).

Itaque hanc de Caesarum in gerenda re publica imperio expositionem absolvo addita admonitione, constitutiones vel rescripta proponere vix penes eos fuisse[4]), sed leges ab Augustis vel ex communi consilio latas a Caesaribus cum praesidibus suis communicatas esse[5]).

Iam disceptandum erit, quae fuerit Maximiani Augusti et Diocletiani in re publica auctoritas, ubi tamen, cum iam dixerim eam in utroque plane aequam fuisse, de hoc uno dubitari possit, utrum summum quisque imperium in sua tantum orbis Romani parte vel ubicumque erant cives Romani exercuerit. At certissime hoc alterum affirmandum est. Etenim constitutiones, quas solus Maximianus aut Diocletianus dabat, ad omnes cives plerumque pertinuisse nemo ignorat; sed etiam edicta ad certam tantum provinciam pertinentia ei propone-

---

1) Paneg. III 6.

2) Quod Eusebius dicit (historia eccles. VIII 14), Maximinum provincias (ἡγεμονίας) dedisse, in hac quaestione nil valet, quia in incerto est, utrum Maximinus, cum hoc perageret, Caesar an Augustus fuerit. Eandem ob causam nulla ratio habenda est narratiunculae, quam de Constantio tradidit Eusebius (vita Const. I 16). Iuliano praesides instituere non licuit (Ammian. XX c. VIII 14).

3) Paneg. III 6.

4) Hoc Mommsenus contendit (über die Zeitfolge etc. p. 419), neque ego quidquam inveni, quo eius opinio labefactetur.

5) De mort. pers. 15; Euseb. hist. eccl. VIII 13; De martyr. Pal. 4

bantur interdum ab eo Augusto, cui ipsa in imperii divisione non evenerat[1]); etiam militare imperium suum exercebat Diocletianus aeque in legionibus Illyricis atque in Asianis[2]). Itaque aggredior ultimam huius disquisitionis partem, ea, quae Augusti et Caesares communiter gesserint, et hoc statim praemitto, tunc quoque quae magistratus et milites omniaque, quae Caesar aut Augustus peragerent, quattuor principum nomina tulisse[3]). Verum imperatores tum tantum communi ante consilio habito egere, cum res maximi momenti esset peragenda[4]). Interdum etiam duo vel tres principes consilia sua de aliquo negotio decernendo et peragendo conferebant[5]). Sed cum ne in dando quidem contra Christianos edicto omnium principum sententiae auditae aut consultae essent, facile

1) Exemplo sit lex de Manichaeis a Diocletiano data (ut docet subscriptio; cf. Mommsen über die Zeitfolge etc. p. 418). Quae cum proconsuli Africae ab ipso Diocletiano missa sit, hoc quoque docet, leges ob uno imperatore latas ab eodem quoque in ditione ceterorum principum promulgari potuisse; non ergo semper eostoditam esse eam quam supra observavi consuetudinem, ut Caesares et Augusti leges sancitas in sua imperii parte promulgarent. Ita postea quoque cum Constantius Christianorum persecutionem prohiberet, tamen Dacianus in Hispania edicta Diocletiani saeva in dei cultores executus est; nimirum Diocletianus ipse cruentas leges ei miserat (De Daciano cf. Florez, España sagrada t. I p. 247 sq.)

2) Eutrop. IX 22.

3) Orelli-Henzen 467, 513, 1051, 1055; Cohen V p. 465; FIDES. MILITVM. AVGG. ET. CAESS. NN. p. 482. MONETA. AVGG. ET. CAESS. NN. De legum subscriptione cf. subscr. edicti de pret. rer. ven. Acta s. Felicis (Ruinart, acta martyrum. p. 350) c. I. Acta s. Saturnini (Ruinart p. 414.) c. V, VI etc. (Quod in edicto ab Eusebio in hist. eccl. VIII 17 citato Maximini subscriptio non legitur, hoc inde, credo, evenit, quod illud edictum tunc ad Maximinum demum mittebatur, cui ipse subscriberet; cf. IX 1); Paneg. III 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 etc. modo omnes principes, modo solus Constantius Augustodunum eiusque scholam restaurare dicuntur. Cf. acta s. Theodoreti (Ruinart p. 373) c. XXIII, XXVI.

4) Ideo stupendum videtur Caecilio, quod in edicto contra Christianos ferendo Constantii et Maximiani sententia non erat expectata (mort. pers. 15).

5) Si factum est in edicto contra Christianos (de mort. pers. 11, 15).

conicias, eos omnino raro communiter deliberasse. Et profecto Maximianus sibi gratulabatur, si saltem in iure civilianciendo ei cum Diocletiano opera danda non esset [1]; quidquid autem ille sanxerat, ea tanquam divinae sapientiae revelationes cum suis praesidibus communicare non cessabat. Nec minus in omnibus aliis imperii negotiis suis consiliis obnoxium hominem ineruditum Diocletianus fecerat, cui etiam Caesares minore potestate et pio obsequio devincti concesserunt, ut ipsius in regendis rebus tot milium hominum voluntas dominaretur eoque ardentissima eius cupido expleretur [2]. Nec tamen idem libere ac sine fine dominabatur: scilicet non cohibere potuit libidines et saevitiam Maximiani, nec cavere, quin Constantius, priusquam exsequeretur, quae ipse ordinasset, perpenderet, utrum haec iustitiae et saluti subditorum consulerent, iussaque damnosa aspernaretur [3]. At Maximiani quidem saevitiam cum cohibere non posset, perfide usus eius amicitia, in commodum suum vertebat Diocletianus. Quotiescumque igitur liberam dominationem crudeli facinore volebat firmare, cruentis Maximiani manibus hoc clam demandabat; huius tyrannidem cum homines horrerent, ipse Diocletianus nil nisi clementiam ostendit, et amabiliter conquestus de duritie collegae, eo maiorem sibi omnium amorem ex odio Maximiani paravit [4]. Idem Galerium aliquando in severa obedientia coërcebat, ne turpi quidem poena, ut par erat in barbaro homine, abstinens, si ille in re publica male quid gessisset [5]. Verum Galerii cupido dominandi, quae invenerit, quibus perfringeret carceres a Diocletiano adhibitos, iam in tertia explicationis particula ostendetur.

---

1) Sex tantum constitutiones et rescripta Maximiano certe ascribi possunt (Mommsen, über die Zeitfolge etc. p 420).

2) Aurel. Vict. de Caess. XXXIX 29.

3) De mort. pers. 15.

4) Lamprid. Elagab. 35; Vopisc. Aurelian. 44; Eutrop. IX 27; Aurel. Vict. XXXIX 46.

5) Eutrop. IX 24; Ammian. XIV c. XI 10.

§. 3. *Ordo successionis.*

Divisionem imperii, quam urgentibus orbis Romani fatis et circumstantibus periculis Diocletianus instituerat, recuperata pace ipse retinere studuit. Itaque destinatum ei fuit, ut Galerius et Constantius succederent in Augustorum maiestatem, cum ipse et Maximianus vita concessissent[1]). Etiam Caesares sufficere voluit eos, qui in principum domo suscepti erant, h. e. Constantinum, Constantii filium, ac Maxentium Maximiano genitum. Ut autem Contantius et Galerius simul Caesares, simul generi Augustorum facti erant, ita Constantinus adhuc puer destinatus iam erat maritus filiolae Maximiani[2]), Caesareumque imperium dotem fore harum nuptiarum, tantopere omnibus notum erat, ut oraculorum collectores iam carmina praeferre studerent, quibus Claudio imperatori Constantini regnum praedictum esset[3]). Nec minor erat spes Maxentii, qui, cum Diocletiano non esset filia nubilis, Galerii gener factus erat, quemque iam ante illas nuptias imperatoria institutione formari dixit panegyricus orator[4]).

At haec omnia perrupit indomita Galerii ferocia. Etenim cum Diocletianus acto triumpho et celebratis vicennalibus (an. 302 et 303) de gloria imperii Romani post immensos labores et magnas victorias pacati magnopere laetaretur, tam dulcis ei dominatio visa est, ut vota susciperet, liceret ei post vicennalia etiam tricennalia celebrare[5]). Sed votis susceptis subito hominem aegritudo invasit, quae non ante eum reliquit quam corporis robur et simul mentis sanitatem concussisset. Sic animo fractum simul dominationis taedere coepit. Mox successit ultimum sapientiae suae facinus, quo Maximianum invi-

2) Spartian. Ael. Ver. 2.

3) Paneg. V 6.

4) Trebellius Pollio in Claudio (quem ille conscripsit Constantio etiam Caesare cf. 1, 3, 9.) 10.

4) Paneg. I 14; Mort. pers. 18.

5) Eckhel VIII p. 12.

tum eo adegit, ut se cum ipso simul imperio abdicaret[1]). Tunc igitur Galerius et Constantius in locum illorum sponte escensuri erant, cum Constantinus et Maxentius ante abdicationem ab Augustis Caesares nominandi essent. At subito auget numerum legionum Galerius, novis coeptis deligit Severum et Maximinum, homines ignavos et barbaros, paratos autem in omnibus rebus sibi obsequi. Severum mittit ad Maximianum, Maximinum commendat Diocletiano, illos Caesares creari minaciter et ingenita truculentia deposcit. Senes Augusti, perculsi timore hominis indomiti, iustissimas Constantini et Maxentii spes evertere et Caesares sibi a Galerio propositos creavere [2]). Tunc deponentes imperium Constantio et Gale-

1) Causam abdicationis Diocletiani, quam ego dixi, referunt tres testes, quorum nemo alterius opus noverat: Caecilius de mort. pers. 17, 18; Euseb. hist. eccl. VIII 13; Paneg. V 9: 'eum principem (Diocletianum) quem anni cogerent aut *valetudo deficeret* receptui canere'. Burckhard (Die Zeit Constantin's p. 45—47) mirifice contendit, Diocletianum hoc diu cum Maximiano constituisse, ut duo Augusti semper viginti annis peractis se abdicarent; eumque in omnibus secutus est Vogel (Der Kaiser Diocletian). Argumenti loco est, quod panegyricus orator (paneg. V 9) loquitur de 'consilii *olim* inter vos placiti constantia'; at illud consilium non est consilium abdicationis, sed hoc 'ne quem (Diocletianum) — socium semper habuisses, in *alicuius* facti communitate desereres (Maximiane)'. Alterum argumentum est quod Caecilius (de mort. pers. 20) Galerium post viginti annorum regnum id deponere voluisse, narrat. At Caecilius perperam imi pectoris cogitationes imperatorum se novisse affectabat, neque huic eius narrationi plus credendum est, quam cum narrat (c. 42), Maximianum, cum postea imperium reciperet, omnes praeter Diocletianum principes extinguere voluisse. Ait e contrario Burckhard: 'Da der Verfasser sonst den Galerius mit dem glühendsten Hasse verfolgt, so berichtet er diesen *Zug ehrenhafter Mässigung* gewiss nur ungern'. Minime! Idem enim Caecilius qui quaecunque Diocletianus instituit, timori et avaritiae eius attribuit, abdicationem Galerii inertiae potius quam honestae moderationi ascribere inclinasset.

2) Cum, ut demonstravi, ante Constantinus et Maxentius Caesares designati, mox autem Maximinus et Severus creati sint, haec consilii commutatio explicanda est; explicatur autem a Caecilio, ubi Galerium hanc perfecisse dicit (mort. pers. 18, 19). Quare etiamsi sermones Galerii et Diocletiani de hac re omnes ipse finxerit, rem ipsam in dubium vocare non pos-

rio suam purpuram tradiderunt. Verum quantae et quam cruentae turbae inde consecutae sunt, cum Maxentius et Constantinus regna sibi erepta vi recuperare temptarunt, cum quisque inter tot principes imperium sibi soli vindicare studuit! Bella intestina, quanta post Augusti et Antonii tempora orbis Romanus non viderat, improbant et condemnant Diocletiani consilia et multitudinem principum ab ipso inventam.

---

sumus. Ceterum observandum est, Occidentis Caesarem a Maximiano creatum esse, cum Diocletianus Caesarem Orientis fecerit (mort pers. 18, 26: 'Dedit (Severus) — purpuram eidem (Maximiano) a quo acceperat'). In alia omnia abit Burckhardi sententia, qui nominationem Caesarum Galerio commissam fuisse dicit (l. c.), cui opinioni nullus scriptor antiquus favet. Caecilius enim dicit, Galerium proposuisse, Diocletianum autem probasse a Galerio commendatos. Nec minus a Maximiniano ille Caesar probari debuit, quem Galerius ipsi purpura induendum commendarat.

BONNAE, FORMIS CARTHAUSIANIS.